BIBLIOTECA MEDICINA
COLEGIO MEDICO

40.12.6.

IOANNIS BAPTISTÆ FANTONI

TAVRINENSIS

R. C. VICTORII AMEDEI II.

Sabaudiæ Ducis, Pedemontij Principis, Cypri Regis &c.

MEDICI & BIBLIOTHECARII.

OBSERVATIONES

ANATOMICO-MEDICÆ

SELECTIORES

In lucem editæ, & Scholys illustratæ

A IOANNE FANTONO FIL. M. D.

Et Anatomes Professore.

AVGVSTÆ TAVRINORVM 1699.

Typis Ioannis Baptistæ Zappatæ.
SUPERIORUM PERMISSU.

AD MODVM REVERENDO PATRI

D. IO. ANT. MEDIOBARBO

C. R. SOMASCO.

HISTORICO-GEOGRAPHO

REGIÆ ACADEMIÆ TAVRINENSIS

Pastori Arcadi, Academico
Affidato, & Erranti.

IOANNES FANTONVS S. P.

COgitanti mihi, cuius sub Auspicijs Viri amicitiâ mihi conjunctissimi æquè, ac eruditissimi Opusculum hoc in lucem

lucem emittere potuerim, in mentem mihi venit illud Reu. Tuæ dicare, Viro amicissimo, doctissimoque, neque vnicâ, sed multiplici eruditione referto. Tuam enim Rerum Antiquarum, Historiarum, Numismatum, & Linguarum exteratum, vetustarumque, potissimùm Hebraicæ peritiam satis cognitam, perspectamque habent non Conciues tantùm, sed præclaræ etiam Eruditorum Academiæ Romana, Ticinensis, Brixiensis, quæ

in

in Adſcriptorum numero
Te eſſe voluerunt. Habet
præ cæteris Regia Equeſtris
Studiorum Taurinenſis Aca-
demia, de quo ſummoperè
glorietur, quod ſcilicet tan-
tæ eruditionis Virum nacta
ſit, qui indefeſſo ſtudio HI-
STORICO-GEOGRA-
PHI munus, reliqua etiam
miſcellaneæ eruditionis in-
terſerendo ſemina ſumma
cum laude exercet. Eluxit
prætereà eruditio Tua pro-
fundiſſima in Apologia En-
dymionis recenter edita, a

Doctiſſimis Viris, & Italicis Academijs maximè commendata, in quà tàm eruditè, quàm ſubtiliter Celeberrimi Vatis conſulis famæ. Patris Tui Franciſci Mediobarbi Biragi egregiè veſtigia premis, illuſtris famæ Viri, cuius tùm familiæ nobilitas, tùm ingenij, doctrinæque præſtantia vndequaque celebratur: Præclarum enim illius Opus De Numiſmatibus Imperatorum Romanorum omnium Eruditorum calculo probatiſſimum habe-

bemus, in quo Tanti Viri acutiſſimum ingenium, ſingularemque eruditionem licet admirari. Plura etiam ſelectiſſima Antiquitatis Monumenta Patris Tui calamo illuſtrata Literatus Orbis expectabat; ſed immatura mors illius gloriæ incremento inuidit: Nondum tamen omnis ſpes talia inuiſendi apud Eruditos euanuit. Tu Patris ingenij, virtutis, doctrinæ, ſtudiorumque Succeſſor id præſtare poteris, quod triſtia fata

fata Patrem perficere non
concessere. Vtinam itaque
brevi prodeant optatissimæ
Lucubrationes Tuâ operâ
perfectæ, & illustratæ. In-
terim quod spectat ad præ-
sens Opusculum, quod Tibi
dicatum volui, illud licèt te-
nuissimum, libenter excipe-
re velis precor: Informe
quidem fragmentulum est
ex paternis, meisque memo-
riolis pro rudis ingenij mei
modulo concinnatum; sed
meliora fortasse calamus ex-
arabit, quum maturior ætas
accef-

accesserit. Intereà primitias nugarum, quas iuuenilis ex-promit impetus non iniucundas Tibi solidioribus doctrinis assueto esse velim; dum Tua consuetudine me eruditiorem fieri confido.

IOANN

BIAOI

IOANNES FANTONVS LECTORI S.

VT primum Pater meus è viuis excessit, efflagitarunt Amici, vt si quid studio Patris mei scriptis mandatum apud me esset typis euulgarem. Verum ob immaturam mortem, & assiduas curas, quæ, dum viueret, ocij dulcedinem suis musis exiorquebant, nihil perfecti, aut completi reliquere potuerat, sed quasdam tantùm annotatiunculas in suis Aduersarijs, & incomposita diuersæ materiæ fragmentula, quæ tunc temporis seligere, concinnare, & in qualemcunque ordinem digerere mihi non licuit, tùm ob tenerioris ætatis im-

peritiam, tùm quia funebrium char-
tarum assidua inspectio consanguinei
doloris speciem molestè nimis refri-
cabat. Posteà verò patientiâ tem-
poris composito animo paternas cogi-
tationes memoriolis expressas exa-
rando, fragmentula expoliendo, &
additionibus illustrando operam na-
uaui. Nunc igitur nostras Lucu-
brat:unculas publici iuris facere in-
stitui diuersis distinctas libellulis.
Tu itaque Lector primum hunc ob-
seruationem seriem cum Scholijs
meo studio additis continentem be-
neuolo animo excipe.

OBSER-

OBSEVATIONES ANATOMICO-MEDICÆ.

OBSERVATIO I.

Aneurisma arteriæ magnæ paulò suprà iliacas, & polypi infrà locum aneurismatis repertì: sanguinis intrà tunicas mesenterij, & circà renes extravasatio.

VIr habitus corporis carnosi laborabat frequentibus animi deliquijs, & vagis ventris doloribus, cum febre continua nullis accessionibus distincta, pulsu ordinato, sed duro, insigni extenuatione, urinis crassis, paucis, &

turbatis, & aliquali in partibus genitalibus dolore. Tandem ex oppressione, & lipothymia obijt.

Dissecto cadauere apparuit aneutisma arteriæ magnæ paulò suprà iliacas, & infrà locum aneurismatis aderant crassissimi polypi, qui sanguinis fluxum versùs iliacas impediebant. Aderat etiam extrauasatio sanguinis intrà tunicas mesenterij, & enormis circà renes hæmorrhagia. Viscera omnia sanissima erant, arteriæ iliacæ prorsùs inanitæ.

SCHOLIA.

REperiuntur frequentissimè polypi in ventriculis, & auriculis cordis, qui ramolas pro-

propagines in arterias, & venas emittunt. Inuenit fæpiſſimè haſce productiones polypoſas in carotidibus, venis iugularibus, vaſis pneumonicis, arteriâ magnâ, venâ cauâ, vaſis cruralibus &c., ſed non ità frequenter deprehenduntur in canalibus, polypi, qui continuitatem non habeant cum polypis cordis, vt nuper obſeruatum eſt in nobiliſſimo filiolo epilepſiâ defuncto, in quo inuentus eſt polypus in ſinu falcis ſuperiore. In noſtro caſu nulla fit polyporum cordis mentio, ſed arteriæ magnæ paulò ſuprà iliacas.

Patet autem craſſiſſimos polypos ibi repertos obſtaculum

fuisse sanguini ad arterias iliacas fluenti, qui proindè tùm ex impetu à corde accepto, tùm copiâ, & gravitate vim fecit pro superando obstaculo, cuius tamen resistentia maior fuit, quam vis contractilis arteriæ, quæ idcircò violenter distracta enormem passa est dilatationem, absque eo quod contrahi rursùs posset, quemadmodum contingit in vesicâ vrinâ nimis distentâ.

Impedito sanguinis fluxu ad iliacas ratione obstaculi canalem arteriæ magnæ obstruentis, non solùm sequutum est aneurisma in dicto canali propè obstaculum, sed sanguis, qui in

iliacas fluere debebat, in arteriâ magnâ retentus, auxit copiam, & impetum liquidi nitentis in latera canalis; Et quemadmodum liquidum ob maiorem copiam & impetum potuit dilatationem memoratam arteriæ magnæ efficere, potuit maiori iure abundantiùs, & validiori impetu ruere in emissaria arteriarum ab arteriâ magnâ deriuantium, quæ sunt supra locum obstaculi: igitur fluxit per arterias cæliacam, mesentericas, emulgentes, spermaticas &c. maior copia sanguinis, & maiori impetu, quàm fluere naturaliter debebat; hinc sequuta est enormis sanguinis extra-

extrauasatio intrà tunicas mesenterij, circà renes &c. Ab hac causâ dependebat dolor ventris, & partium genitalium, qui ijsdem principijs facilè demonstrari potest. Animi deliquium pendebat ex eo, quòd aliquando arteria magna sanguine omninò turgida incapax erat suscipiendo sanguini in qualibet systole à corde protruso, qui per consequens in corde remanere coactus erat, & copia eius aucta à superueniente in diastole sanguine animi defectum inducebat dependentem à suffocatione cordis, quo affectu extinctus est. Plura addere possem, à quibus vt breuior sim abstinere volo.

OB-

OBSERVATIO II.

Tumor sarcomatosus intrà tunicas coli.

DEcem circiter annorum habitus corporis carnosi cœpit ægrotare dolore ventris violento cum febri, & vehementi vomitu. Lenitâ primùm aluo clysteribus; potentibus deinde remedijs per os assumptis optimè expurgatus est. Obseruabamus infrà sinistrum hypochondrium versùs epigastrium oblongam eminentiam cum aliquali duritie, quæ videbatur æmulari prolapsum lienis. Puero febris superuenit, & cum dolor continuus nullis adhibitis remedijs remitti, neque tumor diminui poterit, exanimatus est.

Aper-

Aperto cadauere omnia satis sana inuenimus præter intestinum colon in latere sinistro, & sub ventriculo, longitudine palmari valdè durum, & tumidum, cuius tunica exterior purulento humore infarcta, & fracida secedebat, & apparebat tumor carnosus, fibrosus, admodum densus, qui cauitatem coli coarctabat.

SCHOLIA.

OBseruo quòd in partibus, quæ componuntur ex pluribus membranis non rarò oritur quidam morbus illis partibus peculiaris, qui producitur ex eo quòd membrenæ à se inuicem recedant per intromissionem

nem alicuius humoris, potiſſi-
mum ſeroſi, qui ſi Aluidus ſit per
poroſitates membranarum ſen-
ſim perſpirare poteſt, vel radi-
ces venarum ſubire, aut repelli
à vi fibrillarum contractilium
membranas conſtituentium, vel
etiam à compreſſione extrinſe-
cùs factâ; Quòd ſi materia
membranis incluſa craſſa ſit,
vt ſeri gelatina, tunc mem-
branis tenaciùs hærendo lon-
giorem morbum facit; Et
quemadmodum aliquãdo con-
tingit ſerum gelatinoſum ex
longiori inter membranas mo-
râ maximam duritiem contra-
here, & cum membranis vni-
cam ſubſtãtiam cartilagineam,

aut

aut callolam efficere, vt in scro-
to, vesicâ, liene &c. obseruari
solet; illud etiam in canali in-
testinali non rarò contingit; Et
quià materia illa tenacissima
sensim magis cumulatur, & du-
rescit; ideò canalem angustan-
do grauissima symptomata, &
mortem ipsam infert. Inter-
dum in canali intestinali mate-
ria tumorem faciens non est se-
rum gelatinosum, sed videtur
potiùs sanguis concretus sub
specie molis carneæ fibrosæ;
quæ intrà tunicas excrescere so-
let absque eo quòd tunicæ ipsæ
excrescant; quià hæc tumoris
materia non est ità viscida &
tenax, sicuti serum gelatino-
sum,

sum, quod excrescere soler cum membranis in cartilagineam, aut callosam duritiem; vnde hi tumores longiori tempore perdurant sine febre & dolore; sed tumores facti ex mole carneâ & fibrosa minùs duri sunt, & particulæ sanguinis in tumore depravatæ facilè abripiuntur à sanguine circulante, earumque vitio sanguis inficitur, atque febris excitatur; Et quia tunicarum consistentia parum mutatur, neque multum durescit, aut saltem non euadit cartilaginea, vel callosa; ideò dolorificæ sensationis tunicæ capaces sunt. In hisce carnosis tumoribus interdum adest corruptiua humiditas,

ditas, quæ tunicarum compa-
gem laxando, illas reddit ad
fraciditatem, & corruptionem
dispositas.

OBSERVATIO III.

Cerebrum febricitantis flauo humore tinctum: vasorum cerebri exsiccatio: Aquei oculorum humoris consumptio &c.

VIr ætatis annorum quadraginta quinque, temperamenti atrabilaris, acutissimâ febri laborabat cum intensissimo calore: sanissimæ mentis erat, & amissâ cum sensuum diminu-

minutione loquellâ intrà paucos dies expirauit.

Aperto cranio totum cerebrum flauo humore tinctum apparuit, cum vasis sanguineis in corticali substantiâ ferè exsiccatis, & plexu choroide penitùs inanito. Iuxtà neruorum coniugationes paucus humor stagnabat ibidem concretus, qui seri gelatina videbatur à calore febrili fortasse densata. In oculis consumptus erat humor aqueus, reliquique humores semi-corrupti.

SCHOLIA.

DEfectus humidi, qui perà læpè obseruatur in temperamentis atrabilarijs causa esse

esse solet plurium morborum frequenter læthalium ob grauissima damna quæ in œconomia animali necessariò contingunt ex priuatione humidi. In primis enim deficiente liquido humido sanguis non diluitur, vt dilui oportet à debitâ quantitate fieri; vnde glutinosus euadit, crassus, grumosus, & fluere liberè non potest per canales suos, nec impetum à corde communicatum seruare; quià propter visciditatem, partes eius sibi inuicem adhærent, ac veluti colligantur adinstar glutinis, & inseruiunt sibi inuicem vt totidem obstacula impetum reprimentia; quià nequeunt liberè

aliæ

aliæ ſuper alias excurrere; adhæ-
rent etiam canalibus ſuis, illos
anguſtant, obſtruunt, & mo-
tum circulationis impediunt.
Reliqui humores eadem pa-
tiuntur damna: bilis craſſior
euadit, & ſecerni difficile po-
teſt, & ſecreta fluere: lympha
concreſcit, quià deficit baſis
eius, quæ liquidum humidum
eſt. Idem de cæteris humori-
bus dicendum. Areſcunt, &
corrugantur canales omnes,
qui in blandâ humectatione ſer-
uari debent, vt conueniens præ-
beant ſpatium fluenti liquido,
& diſtrahi opportunè valeant,
& contrahi; quod fieri non
poteſt exliccato canali. Exſic-

can-

cantur etiam membranæ, ac velu-
ti crispantur, quoties cumque
earum pori & fibrillarum inter-
stitia non irrigantur liquore hu-
mido, qui illas extensiles facit,
emollit, & læuigat. Indurantur etiam reliquæ corporis partes nisi humectentur: fibræ constringuntur, porostrates obturantur &c. vnde fluuidorum motus, vegetatio, & functiones reliquæ peragi nequeunt; & corpus maralmo afficitur; ac tandem mors sublequitur remanente corpore instar trunci emortui, aut meliùs instar genuinæ mumiæ.

Quum igitur in temperamento arrabilari sangis pauco fero

fero refertus accenditur, particulæ rubræ sanguinis motu febrili agitatæ, deficiente intromissione liquidi humidi inter se confricantur, & confricant vasa, & partes omnes, quas sanguis abluit; undè particulæ abraduntur, & dividuntur in minima, & crasis sanguinis ex illâ violenta abrasione, & divisione peruertitur: eâdemque de causâ calor suscitatur intensissimus, qui ob carentiam liquidi humidi facilè extricatur, & extricatus mitigari non potest, & ipse calor dividit moleculas sanguinis, & alterat, & euaporationem superstitis humiditatis promouet; & post violentam

efferuescentiam accidunt ea omnia quæ dicta sunt de multiplici alteratione sanguinis, & humorum omnium, & canalium, & membranarum, & totius corporis: obseruando quòd ea, quæ in genere asserimus, in casu specifico proportionaliter intelligantur; quemadmodum proportionaliter intellecta applicari debent casui nostro: vnde ex his principijs facilè explicari possunt præcipua phænomena. Quoniam enim bilis in nostro ægrotante redundans, & naturali crassior supponitur, minor eius quantitas secernitur in conuenientibus emunctorijs; & maior quantitas sanguini per-

permixta remanet; inordinatè afficiendo partes corporis, quibus facilè adhęrere potest propter viſciditatem ex defectu humidi, quo ſolet dilui; vel ſuis ſpiculis in poroſitatibus, quas facilè penetrare poteſt, irretiri; hinc ratio ſauedinis cerebri in caſu memorato petenda eſt. Patet etiam ex his quæ dicta ſunt cauſa exſiccationis vaſorum, concretionis ſeri, humoris oculorum aquei conſumptionis &c.

OBSERVATIO IV.

Inflammatio pulmonis, hepatis, & intestinorum: Aqua pericardij purulenta, & superficies cordis alterata.

VIr robustus trigesimum quintum annum agens, habitus corporis carnosi acutâ febri detinebatur cum maximâ spirandi difficultate, leui tussi, & paucâ excreatione, ac ferè suppressâ, dolore laterali, difficili suprà dorsum decubitu, pulsu paruo & celeri, sed tamen æquali. In principio nonæ obijt.

Dissecto cadauere vidimus intestina omnia phlogosi affecta; hepar tumi-

tumidum, & in parte cauâ inflam-matum ; pulmonem coſtis vndique adhærentem, vaſaldè inflammatum, ſanguine & pure turgidum ; lym-phàm pericardij copioſiſſimam, & purulentam, quæ ſuperficiem cordis alterauerat ; denique in cordis ven-triculis concretiones polypoſas.

SCHOLIA.

QVoniam in hoc febricitan-te aderat feruor, & lentor ſanguinis ; ideò partes facilè poterant affici obſtructione & inflammatione ; ſed quemad-modum maius eſt periculum obſtructionis & inflammatio-nis in partibus quæ recipiunt

maiorem copiam ſanguinis ; ideò pulmones & hepar obſtructione & inflammatione affecta ſunt . Inteſtina etiam maximus ſanguineorum vaſorum numerus irrigat , adeò vt vix poſſis inteſtinis acum infigere, quin perfores aliquod vas; vnde etiam facilè inflammationem patiuntur ; ſed eſt alia ratio mechanica , ob quam dato hepatis tumore , & inflammatione, facilè ſequitur inflammatio inteſtinorum ; Quoniam enim dato hepate tumido & inflammato ſanguis venæ portæ non poteſt liberè & naturali velocitate in hepate diffundi, & in caluam effluere ; ideò in vena portæ

tæ ſanguis lenteſcere debet ; Et quia venæ inteſtinales, & meſentericæ ſunt propagines venæ portæ ; ideò etiam in his venis lentè fluet ſanguis, & in inteſtinis aliqualem moram faciet ; ſed ab arterijs meſentericis continuò, & velociter fertur ſanguis ad inteſtina ; igitur in inteſtinis congeritur copia ſanguinis ibidem moram facientis, qui cum ſupponatur igneus inflammationem producere aptus eſt.

OBSERVATIO V.

Moles hepatis maxima: Ventriculus in regione vmbilicali: Cor insolitæ magnitudinis &c.

ILlustrissima Domina temperamenti bilioſi, valetudinaria, poſt varios morbos, diuerſaque ſymptomata, nempè febrem, difficultatem ſpirandi, impoſſibilem ſuprà dorſum, & difficilem ſuprà latus ſiniſtrum decubitum, enormem flatuum emiſſionem; tandem ex hydrope obijt, cum ventre tumido, œdematoſis cruribus, pedibus, & dorſo. Notandum etiam aliud ſympтoma, de quo Ægra conquere-

querebatur, nimirùm, quod videretur illi lingua ligari, & ad inius retrahi.

In dissecto cadauere vidimus hepar naturalem magnitudinem plurimum excedere: bilem in cystide non inuenimus: Ventriculus infrà hepar depressus erat, & situs in regione vmbilicali: pancreas penè scirrhosum: omentum semi-consumptum, ac suprà retractum. Pars sinistra thoracis repleta erat sero, & in eâ parte pulmo lienis colorem & consistentiam referebat: dextera pars nihil seri continebat, pulmo ibi turgidus erat sero & ichore imbutus: Insolitæ cor magnitudinis dextram thoracis pariem cum pulmone penitùs occupabat: exiguum dexter ven-

triculus habebat polypum.

SCHOLIA.

OBſeruo primò quòd quando moles hepatis eſt inſigniter aucta, ventriculus eſt in ſitu decliuiori, quam naturaliter eſſe debet; quia hepar mole & pondere ſuo ventriculum deprimit, quod communiſſimum eſt, & non obſeruatum; & câ de cauſâ œſophagus à ventriculo depreſſo nimis trahitur, & cum renitentia elongatur; Hinc eſt quòd Ægra conquerebatur de linguæ retractione ad intùs.

Obſeruo ſecundò in hydropicis veſiculam bilis vel vacuam

cuam omninò esse, vel saccidam cum pauca bile viscida & glutinosa. Huius ratio phænomeni à vitio hepatis obstructi peti quidem potest, sed melius deducitur à vitio sanguinis, qui in hydropicis serosus est, minimè vegetus, & per consequens ad generationem bilis inhabilis, ad quam requiritur sanguis viuidus & fermentatiuus; & ideò monet Galenus in Arte parua quòd hepar calidum maximam gignit bilis copiam.

OBSERVATIO VI.

Cranium crassissimum cum suturis vix apparentibus: medulla oblongata bilioso sero tincta &c.

Eligiosa ætatis viginti septem annorum, valetudinaria, & debilis constitutionis à rara corporis texitura, & sanguine tenui biliosa serioritate referto cœpit leuiter febricitare, sed cum maxima vomendi violentia, vomebatque multam bilem, quam etiam sinceram, modico tantum sero dilutam dejiciebat spontè à sumptione purgantis. Tandem incidit in convulsiones epilepticas,

cas, quarum importunis accessioni-
bus triduò correpta, tertia die obÿit.
Cerebrum in cadauere inspecturi
crassissimum cranium offendimus, &
suturis vix apparentibus tàm strictè
connexum, vt illis prorsùs carere vi-
deretur. Vasa suprà cerebri amphra-
ctus dispersa admodum turgida
erant sanguine: substantia cerebri
ad sensum naturalissima apparuit,
nihilque notabile deteximus, nisi
quod medulla oblongata tincta erat
serositate biliosa. Ventriculi sero
destituti apparuere: Vasa plexus cho-
roidis inania, tùm etiam ductus fal-
cis superior: meninges aridissimæ.

In epilepticis insultibus huius pa-
tientis quædam peculiariter notaui.
1. profundam somnolentiam à qua
tamen

tamen ex afflictu partium vesicalarum expergiscebatur querula oculis prominentibus, capite, manibus, & toto interdum corpore irrequietis; sed cessantibus stimulis ad soporem revertebatur. 2. videbatur in insultibus lucida habere interualla in quibus nutriebatur, & pia verba proferebat & assistentes cognoscebat. 3. insultus erant frequentissimi, convulsiones horridæ, capite posteriùs in spinam retracto, manibus, femoribusque contractis, ore spumoso &c.

SCHOLIA.

Rasuriem cranij in multis C observaui, qui neque epileptico, neque vllo alio cerebri affe-

affectu laborauerant: est tamen considerabilis in illis qui similibus affectibus diuexantur forsitasse ob rationes, quæ communiter à Medicis afferuntur; & potissimum in hoc casu notabilis est, in quo adest etiam strictissima ossium cranij connexio per futuras vix apparentes; quod iuuenili ætate contingere non solet, etiamsi ætate prouectis familiare sit apparentibus tantum futurarum vestigijs, quæ interdum etiam dignosci vix possunt.

Turgescentia vasorum in aliqua parte corporis denotat lentescentiam sanguinis in illa parte, in qua est turgescentia vasorum:

rum: & vice versâ lentescentia sanguinis in aliqua parte corporis importat turgescentiam vasorum in illa parte, in qua adest lentescentia sanguinis. Quandoquidem si sanguis flueret per vniuersum corpus æquali velocitate proportionaliter, omnia vasa corporis essent etiam proportionaliter æquè turgida; sed iam supponitur solum turgescentia vasorum in aliqua parte corporis; igitur sanguis in dicta parte fluit dispari velocitate; sed dici non potest, quod ibi fluat maiori velocitate, quia abriperetur sanguis, qui efficit turgescentiam; igitur dicendum est, quòd fluat velocitate minori;

nori; & per conſequens turgeſcentia vaſorum in dicta parte, denotat velocitatem ſanguinis in illa naturali minorem, ideſt lenteſcentiam. Ità viciſſim quia propter lenteſcentiam ſanguinis in aliqua parte corporis, minor eius quantitas à venis reſluit versùs cor, quàm à corde truditur in arterias; igitur in illa parte in qua ſanguis lenteſcit cumulatur copia ſanguinis naturali maior, quæ efficit turgeſcentiam vaſorum. Quoniam igitur ſuprà cerebri corticem maior eſt in vaſis ſanguinis quantitas, quàm naturaliter eſſe deberet, & corticem cerebri comprimi à ſuperincumbente

in

in vasis liquido necesse est ; igitur comprimetur magis à superincumbente liquido cortex cerebri, quum liquidi maior est quantitas, quam quum minor est; & quemadmodum liquido naturali velocitate fluente diminuitur gravitas eius suprà corticem cerebri propter directionem motûs eiusdem per longitudinem canalis; ità lentescente liquido augetur gravitas eius suprà corticem cerebri, quià diminuitur momentum velocitatis eiusdem per longitudinem canalis. Quare tùm ratione lentescentiæ, tùm maioris quantitatis sanguinis in vasis plurimum augetur gravitas eius

suprà

ſuprà corticem cerebri, quæ forſsè occaſio eſſe potuit profundæ ſomnolentiæ in caſu expoſito, & in ſimilibus.

Medulla oblongata ſero bilioſo tincta potuit etiam à ſpiculis liquoris bilioſi irritari, & ex fibrillarum eius irritatione ſpiritus violenter commoueri; vnde conuulſionis ratio petenda eſt; quemadmodum enim idem ſerum bilioſum ventriculi fibras irritando violentos vomitus excitauit, pari ratione medullæ oblongatæ fibrillas moleſtè vellicando conuulſionem inferre facilè potuit.

OB-

OBSERVATIO VII.

Pulmo inflammatus : cor magnum, variegatum, & durissimum.

MIles ex graui morbo conualescens in acutam incidit febrem cum respiratione difficili, tussi sicca, & dolore fixo circà medium sternum. Pulsus erat frequentissimus, calor intensissimus, & sitis inextinguibilis. De cordis phlogosi aliquam suspicionem habuimus; opportuniora remedia tentauimus, quibus non obstantibus Miles breui extinctus est.

In dissectione cadaueris inuenimus hepar valdè obstructum, ac tumidum:

midum: paucum in abdomine serum: omentum semi-consumptum: dextrum pulmonem valdè inflammatum, cuius portio superior densa, dura, ac veluti scirrhosa erat, inferior adhuc spongiosa, & respectiuè mollis. Cor mole maximum erat plurimis albicantibus maculis variegatum: substantia eius durissima, ac ferè scirrhosa, coloris atri, cum vasis coronarijs turgidissimis. In dextro ventriculo duos inueni-mus polypos, quorum maximus in venam cauam, minor in arteriam pulmonalem ramosas productiones emittebat. In sinistro ventriculo nullus aderat polypus præter sanguinem grumosum omni sero destitutum, quemadmodum reliquus sanguis apparuit.

SCHO-

SCHOLIA.

QVod ex febre acuta post grauem morbum superueniente maius immineat periculum, quàm non præcesso graui morbo euidentissimum est; sed non ità facilè videtur inuenire rationes mechanicas, quibus demonstrari possit vnde hoc graue periculum depẽdeat: Illæ etenim peti debent tùm à constitutione sanguinis post morbum, tùm à solidarum partium conditione, in quibus peculiaria quædam notanda sunt tempore quo Aliquis ex graui morbo conualescit; ex quibus superuenientis morbi periculum

lum eruitur; sed illa hìc recen-
sere nimis longum esset.

Respiratio difficilis videtur in hoc casu dependere ab obstructione, vel compressione canalium aereorum: obstructio autem tàm repentina esse non potest, quià in corpore actu febricitante materia obstruens deberet esse quantitas notabilis liquidi in canales aereos, & vesiculas depluentis; quod tamen in hoc casu esse non potest; quià tussis est sicca, quæ supponit solum molestam vellicationem factam in interiori tunicâ bronchiorum & asperæ arteriæ, quæ acutissimi sensûs est, ab exiguâ quantitate humoris acrimoniâ pec-

peccantis, quæ impossibile est, vt possit canales aereos obstruere. Dependet igitur à compressione, quæ videtur facilè explicari posse supponendo quòd pulmo turgeat, vt de facto turget sanguine ebulliente, & rarefacto: ex qua turgescentia necessariò sequitur canales aereos, & veliculas vndequaque premi, & coarctari; vnde liquidum aereum non habet vim sufficientem canales, & veliculas distrahendi quantum opus est, ob resistentiam sanguinis vndequaque prementis dictos canales, & veliculas.

Dolor fixus circà medium sternum, quando externus non est,

probabiliter iudicari poteſt, quod in corde, vel in pericardio ſit. Fieri enim poteſt, vt pericardium ab humore acri molestè vellicetur; vel darâ accenſione ſanguinis phlogoſi afficiatur; quemadmodum reliquas partes corporis ſimiliter affici perſæpè obſeruamus. Præterea ſiunt aliquandò exulcerationes in pericardio, interdum etiam abſceſſus: ex quibus conſtat cauſam doloris in pericardio multiplicem eſſe poſſe. Cor autem phlogoſi affici tanquam causâ paſſionis dolorificæ indicare videbatur pulſus frequentiſſimus, qui denotabat cor importunè irritari ad fre-

quentem contractionem pro-
pter ardorem sanguinis, qui
non solum in ventriculis, sed
etiam in eius substantiâ villos
præter modum calefaciendo,
acveluri vrendo, maximam in
illis rarefactionem liquidi ner-
uosi excitabat; vnde cor sem-
per dispositum erat ad contra-
ctionem; & eo momento, quo
sanguinem recipiebat, illum
conabatur expellere.

Cordis substantia naturali-
ter dura est ex fibris tenaciter
complicatis, ac circumuolutis
compacta; vnde fieri nequit
tàm notabilis, vt in alijs parti-
bus, effusio sanguinis in substan-
tiâ cordis; quià fibrarum inter-

stitia

ſtitia arctiſſima ſunt. Præterea ſanguis qui ſpargitur per ſubſtantiam cordis ab arterijs coronarijs, in ſyſtole vrgetur in venas ob turgeſcentiam villorum cordis, vt patet; per conſequens exigua tantum ſanguinis portio naturaliter remanet in interſtitijs, & poroſitatibus; Quod ſi ſanguis febriliter ebulliens, & in interſtitijs, & poroſitatibus cordis effuſus quâcumque de cauſa, quæ multiplex eſſe poteſt, non poſſit in venas, vel à venis in cordis ventriculum liberè effluere; ideoque moram in interſtitijs & venis faciat; quia ſanguis ſupponitur accenſus, calefaciet cordis vil-

los præternaturaliter, eosque velut ivret, & phlogosim induceret, & turgebunt vasa cordis, & cor indurabitur tùm ob exsiccationem villorum, tùm ob sanguinem in interstitijs fibrarum, & porositatibus stagnantem.

OBSERVATIO VIII.

Pancreas durissimum, cum liquore lymphatico in canali virsungiano: capsulæ atrabilariæ maximæ, & alteratæ: cor magnum, & planum &c.

Acerdos ætatis consistentis tetrâ scabie laborabat cum pruritu molestissimo, & sitî inextinguibili: cæterum

rum benè se habebat. Præter expe-
ctationem nocte quâdam ex impro-
viso mortuus est.

In dissecto cadauere vidimus pan-
creas obstructum, ac durissimum cum
canali virsungiano lymphatico
humore repleto: capsulas atrabila-
rias notabilis magnitudinis, interiùs
alteratas, & friabiles. In dextrâ
thoracis parte pulmo valdè altera-
tus arctissimè adhærebat pleuræ. Cor
sub-rotundum non erat, sed valdè
depressum & planum, & insignis
magnitudinis: auricula dextra va-
ricosa cordis ventriculo æqualis.
Auriculæ sinistræ, & vẽtriculis nihil
inerat sanguinis; adcrant verò con-
cretiones polyposæ, quæ in quatuor
magna vasa producebantur.

SCHOLIA.

PRuritus molestissimus, & sitis inextinguibilis in corpore tetrâ scabie laborante indicat defectum humoris aquei, & exuberantiam, & summam acredinem salium; vnde patet vtilitas, immò necessitas existentiæ liquidi aquei in corpore animalis, quod præter alios præclaros vlus abstergendis salibus, atque eliminandis per sudores, vrinas &c. inseruit; nemini etenim ignotum est, quàm facilè salia consocientur cum aqueis. Deficiente verò humido retinentur salia in corpore arescente, & sanguinem acre-

dine

dinè inficiunt, & amiſſâ conuenienti fluiditate in ſolidis partibus fixantur, quas interdum enormiter deturpant morbos producendo nunc magis, nunc minùs graues pro quantitate, & acrimonia illorum maiori, vel minori, & prout pars affecta magis, vel minùs ratione peculiaris vſus, & texturæ conſiderabilis eſt.

Mors improuiſa polypis in corde repertis, qui producebantur in quatuor magna vaſa rationabiliter tribui poteſt; adeò vt obſtructis maioribus vaſis circulatio ſanguinis fuerit intercepta.

Quia ſanguis erat deſtitutus

quantitate congrua humoris aquei ; igitur lympha, cuius basis est humor aqueus, minus diluta minus fluida, quàm in statu naturali esse solet, in canalibus suis lentescere debebat, & hac de causa ductus virsungianus lympha pancreatica turgidus apparuit. Quarè autem obstructo, ac durissimo existente pancreate ductus, & canaliculi excretorij non fuerint adeò compressi, vt conspicui vix esse potuerint potiùs, quàm lymphâ turgere ; ratio esse videtur, quia liquor viscidus in ductu, & canaliculis impedimento erat concidentiæ ductus, & canaliculorum contrà

vim

vim compressionis corporis glanduloſi obſtructi, & duri. Præterea aduerto, quòd pancreas eſt corpus compoſitum ex acinis glanduloſis molis valdè notabilis, qui facilè digitis diſſungi poſſunt; Et quia ſpatia acinis interiecta ſatis ampla ſunt; ideò canaliculi excretorij minùs comprimuntur.

OBSERVATIO IX.

Inflammatio meningum, & cerebelli corruptio.

Dolescens ab ingenti trabe ab alto cadente in capite percussus fuit cum fractura & depressione ossis parietalis.

Ablatis squamis & vulnere methodicè curato versùs diem septimum ingens ferè totius corporis, potissimum verò capitis, & pectoris erysipelas superuenit. Die vndecimo obijt. Notandum quòd nunquam febricitauit, neque delirauit nisi paucis horis antè obitum.

Resecto post mortem cranio inflammatæ apparuere meninges, & cerebellum corrupium.

SCHOLIA.

RAriſſimum ſanè eſt, quòd inflammentur meninges, abſque eo quòd excitetur in ſanguine motus febrilis, qui ferè ſemper inflammationum comes

comes est, potissimum verò inflãmationis membranarum cerebri, quæ non solum febrim, sed etiam delirium, & phrenitidem sæpissimè comites habet; Quià verò sanguinis crasis in corpore benè constituto difficilè alteratur, nisi accedat aliquis potentissimus stimulus, qui sanguinem neque in qualitate, nec quantitate, nec motu peccantem, possit vitiosum in aliquo, vel pluribus ex his efficere, ideò fieri potuit, quòd particulæ sanguinis in parte inflammatâ depravatæ, & recirculantes cum sanguine, & motus turbatus sanguinis in parte inflammatâ, & spiritus propter dolorem, &

concussionem cerebri etiam per consensum affecti, non potuerint vim sufficientem habere ad excitandam sanguinis effervescentiam, nisi vltimis vitæ horis, quo tempore inflammatio iam plurimum aucta, & cerebelli corruptio febrem cum delirio produxere.

Circà corruptionem cerebelli plura dicere possem, quæ satiùs omittere iudico; quia in explicandis phænomenis morborum capitis, speciatim illis qui rarò contingunt, & cum symptomatibus non correspondentibus morbo, fateor ex infinitis penè rationibus, quæ ab Authoribus adducuntur, & ex illis,

illis, quæ mihi passim in mentem veniunt, nullam mihi arridere.

OBSERVATIO XI.

Tumor fibrosus intrà tunicas cæci & coli &c.

VIr ætatis annorum sexaginta circiter, temperamenti atrabilaris, valetudinarius doloribus ventris sæpè obnoxius conquerebatur de dolore fixo circa regionem iliacam dextri lateris; febris non aderat, sed facilè, & frequenter vomebat; vomitus autem non erat vehemens. Post iterata enemata, & oleum amigdalarum

rum dulcium remissus fuit dolor; sed mox sæuijt assumpto pharmaco ex cathar. passul. & diaphen., ex quo nihil ferè dejecit, neque vlla ex repetitis purgantibus euacuatio nisi per vomitum sequuta est; frustrà etiam imposita fuere enemata; namque dejiciebat talia, qualia imponebantur; nec feliciori euentu iteratum fuit oleum amigdalarum, ex quo nullum doloris leuamen obtinuit; Hinc leuiter febricitare cœpit, & missio sanguinis instituta fuit; à missione sanguinis non febricitauit amplius; nihilominus dolor exacerbatus est, & languidus Æger sensim defecit cum vomitu, extremis frigidis, pulsu formicanti, mente constantissima, venire instar asci-

tici

tici tumidissimo & duro, prout in ileo sæpissimè observaui.

Dissecto cadavere vidimus intestinum cæcum maximæ magnitudinis, & gangrenâ affectum, sicuti etiam principium coli. Intrà tunicas cæci & coli concreverat caro veluti musculosa fibris distincta, quæ illorum crassitiem plurimum auxerat. Hæc caro mollis in cæco, & coli initio luxurians sua corruptione gangrenam intestinalem induxerat. Colon non apparuit in cellulas distinctum; undè fortassè à relaxatione ligamenti explicatum fuerat. Reliqua intestina lurida erant.

SCHO-

SCHOLIA.

PLuribus modis canalis intestinalis anguſtari poteſt, vel omninò occludi: in primis à materiâ aliquâ, quæ multiplex eſſe poteſt canalem obſtruente: vel à tumore ipſius canalis; potiſſimùm verò ab humoribus intrà tunicas excreſcentiam producentibus, & craſſitiem eius plurimum augentibus; vel etiam à compreſſione, aut ſtrangulatione eiuſdem, quæ frequenter contingit. A quacumque cauſa anguſtia, vel omnimoda occluſio canalis procedat manifeſtum eſt alimenta per vomitum reijci debere; ideòque chylificatio-

nem,

nèm, & nutritionem lædi; inap-
petentiam, & dolores ventris
contingere, & alia plura; ac
tandem mortem ipſam ſubſe-
qui, ſi morbus perſeueret. Sup-
poſito enim euidentiſſimo illo
principio, quòd ex contractione
canalis cylindrici directio mo-
tus liquidi fiat æqualiter ad
vtrumque extremum canalis, ſi
vtrumque peruium ſit nullo exi-
ſtente obſtaculo, vel ad vnum
tantùm, ſi alterum imperuium
ſit; vel aliquod adſit obſtacu-
lum; patet quòd in ſtatu natu-
rali peruio exiſtente vtroque ca-
nalis inteſtinalis extremo ad
vtrumque æqualiter protrude-
retur materia alimentorum,
(quæ

(quæ plus minùs diluta liquidi rationẽ haberi) & tùm p vomitũ, tùm p ſecceſſum reijcerctur, niſi occurreret aliquod obſtaculũ in parte ſuperiori canalis à naturali contractione eius non ſuperabile, per quod directio motus materiæ alimentorum fiat verſùs inferiorem partem canalis, in qua etiam ſi reperiatur etiam aliquod obſtaculum alijs de cauſis neceſſarium, ſufficit tamen, qnòd minimum ſit reſpectu obſtaculi partis ſuperioris canalis, & quòd facilè ſuperetur a naturali contractione canalis. Iam ſupponamus dari anguſtiam præternaturalem canalis intestinalis in aliqua eius parte,

te, occurrit igitur in illa parte maximum obstaculum, cuius resistentia maior est naturali re-sistentiâ obstaculi superioris; Quarè directio motus liquidi erit magis versùs superiùs extremum canalis, vbi respectiuè tunc minor est resistentia à con-tractione canalis naturali maiore superabilis, minùs verò versùs angustiam, & inferius extremum canalis, vbi resistentia maior supponitur. Si verò adsit omnimoda occlusio canalis patet omnem directionem fieri versùs extremum superius; ideòque fieri Fluxum & refluxum cibi à pharynge versùs occlusionem intestini &c. Ex his patet

patet quomodo vomitus explicandus sit in hoc casu, & quomodo lædatur chylificatio, & corporis extenuatio contingat, & animalis œconomia perturbetur, & mors subsequi debeat.

OBSERVATIO XI.

Hepatis & diaphragmatis inflammatio: cutis, cerebrum, & intestina bile tincta: lien monstrosus: cerebri fraciditas.

EMpiricus quidam lacertosi corporis, aliæque staturæ, ac tanti roboris ut fune capillis alligato exuberantis ponderis saxum eleuaret, cœpit febrici-

briciare cum leui ſubdelirio. Medicus vocatus ſtatim propinauit illi virum antimonij, ex quo enormis ſequuta fuit euacuatio tàm per vomitum, quàm per ſeceſſum; poſt aliquot dies phreneticus euaſit tanto accenſus furore, vt mediâ nocte è lecto ſurgens validiſſimam ianuam ferratam brachiorum vi frangeret, & fugam è domo ſibi procuraret. Obijt phreneticus.

Diſſecto cadauere vidimus hepar phlogoſi affectum, & diaphragma pariter inflammatum in centro nerueo, hinc delirabat vt plurimùm cum riſu, varias efformans ob conſenſum neruorum deformes oris, & genarum torturas. Inteſtina omnia bile tincta erant: cutis etiam, poti-

tissimum faciei icterica. Lien apparuit monstrosus, rotundus scilicet, membranâ inclusus durissimâ, & crassissima, & eâ parte, quâ respicit costas nothas cartilagineâ, ac ferè osseâ.

Sinistri pulmonis extremitas inflammata erat ex contactu diaphragmatis; unde in ea parte aegrotans acutissimum persentiebat dolorem cum tussi molestissima, & sicca.

In cerebro vasorum plenitudinem, & turgescentiam observauimus: substantiam cerebri bile tinctam, flaccidam, & ad corruptionem dispositam.

SCHO-

SCHOLIA.

VIs potentiſſima plerumque ineſt delirantibus cum furore, quia in illis ſanguis plurimum efferueſcit, & particulæ conſtitutiuæ ſanguinis diuiduntur & attenuantur; & per conſequens copiosè elaborantur ſpirituoſa corpuſcula, quæ ignea ſunt, & volatilia, & in cerebro, neruis, cæteriſque partibus, quæ ab illis irradiantur tumultus, & validiſſimos motus excitant. Et quia bilis in hiſce caſibus copioſiſſima ſanguini ineſt, ideò facilè partes afficere poteſt, illiſque ſauedinem conciliare.

Lic-

Lienis membranam, & substantiam ipsam aliquandò indu-
ratam inueni in aliqua eius parte; sæpissimè etiam aliæ membranæ, & canales, potissimùm verò ligamenta, & cartilagines indurescunt; quod ætate prouectis familiare est. Vidi nuperrimè arteriam coronariam naturali multò maiorem & durissimam, veluti osseam.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Hydatides in superficie cordis: vesicula bilis maximæ magnitudinis, & meatus cystici obstructio &c.

VIr ætatis annorum quadraginta circiter à quatuor mensibus laborabat febri tertianâ duplici continuâ per subintrantiam paroxysmorum; post iteratas purgationes febris mutata est in tertianam simplicem; mox universaliter œdematosus evasit; inde febris tertiana in quartanam desijt. Tumor evanuit, & importuna tussis ægrotanti superuenit, qui valdè emaciatus euadebat. Tandem de-

bilem Ægrum motus conuulsiui ex improuiso corripuere; vndè in extremis frigidus breui expirauit.

Aperto cadauere mediocrem seri copiam in Abdomine, & Thorace inuenimus, nihilque morbosi in capite obseruauimus præter inanitionem vasorum sanguineorum. Vidimus in superficie cordis hydatides concrescibili sero turgidas; substantiam pulmonum densam, & duram instar substantiæ hæpatis, & phlogosi affectam. Vesicula bilis ingentis erat magnitudinis; nam intrà eius tunicas serum concrescibile instar gelatinæ compactum aderat; vndè tunicarum crassities digitum æquabat. In meatu cystico, quem callosum inuenimus adeò concreuerat

serum

ſerum illud, vt bilis tranſitum omnino intercluderet.

SCHOLIA.

Apparent frequenter hydatides in ſuperficie hepatis, lienis, cordis, aliarumque partium, quæ ab Aliquibus habentur pro varicibus vaſorum lymphaticorum; Obſeruantur tamen aliquandò in quibuſdam partibus adeò copioſæ, vt omnes vaſorum lymphaticorum varices eſſe difficilè crediderim. Quamuis igitur fieri poſſit dilatatio vaſis lymphatici in aliqua eius parte, quemadmodum contingit in vaſis ſanguineis,

non tamen hydatidis nomen illi tribuendum est, sed varicis. Formatio autem hydatidis ità explicari verisimiliter posse videtur. Cogita enim membranas corporis conflatas ex villis contractilibus extensiles esse, seu distrahi posse à quacumque vi resistentiam naturalis earum tensionis superante : Observa etiam quòd membrana partem aliquam inuestiens illi tàm arctè non adhæret ; quin aliqua eius portio possit à subiecta parte quoquò pacto eleuari sine laceratione, quià supponitur extensilis. Iam facilè concipere potes formationem hydatidis, quæ nihil aliud est, quàm

por-

portiuncula membranæ partem aliquam inuestientis èleuata, & distracta adinstar vesiculæ. Causa eleuationis, & distractionis membranæ est liquidum serosum propriâ fluiditate, grauitate, & motu à sanguine, à corde, & villis contractilibus aliarum partium communicato vim faciens in portiunculam membranæ, in quam incidit, & cuius naturalis tensionis & cohæsionis, resistentiam multiplici momento vincit; vndè cogitur eleuari & distrahi adinstar vesiculæ, quæ eodem humore seroso inflatur, & inflata permanet, donec aucto humoris fluxu vesicula disrum-

patur ob impotentiam maioris dilatationis, vel diminutâ vi liquidi nitentis in vesiculam, villi eius contrahantur & sibi procurent suam restitutionem per repulsionem liquidi &c. Potest etiam liquidum per porositates vesiculæ dilatatas perspirare.

Substantia pulmonum naturaliter leuissima est, & rarissimæ texturæ; quià nihil aliud est, quàm membranarum, & canalium congeries. Si etenim à pulmone demas membranam continentem, canales aereos cum vesiculis, interiores membranas, arterias, venas, neruos, & vasa lymphatica nihil aliud supereſt substantiæ pulmonis; nisi

nisi peripateticus sis, & ea omnia quæ memorauimus accidentia substantiæ pulmonis vocare velis. Est igitur substantia pulmonis humorum facilè susceptibilis adinstar spongiæ propter vesiculas, & canales innumerabiles, quæ fluido aereo destinata sunt; & multis de causis repleri possunt humoribus in corpore fluentibus; Quod si contingat, euidens est pulmonem densum fieri, & durum nunc magis, nunc minus prout humor spatia implens plùs vel minùs crassus est.

Eamdem cystidis crassitiem aliquandò obseruaui ob serum glutinosum eius tunicis inter-

ceptum; Et memini me in aliquibus hydropicis illam craſſitiem reperiſſe; vndè non malè cyſtidis hydrops vocaretur. In his caſibus ferè ſemper noraui meatum cyſticum non ſolum obſtructum à glutinoſitate ſeri, ſed etiam coarctatum à craſſitie tunicarum.

OBSERVATIO XIII.

Hepar ſteatomatoſum, & muſculorum Abdominis ſuprà corpus hepatis extenuatio.

Vidam Gallus à pluribus menſibus febre lentâ detinebatur, & à laudabili conſtitutione in habitum corporis

ris ſemi cachecticum degenerabat: Siticuloſus erat, & vomebat ſæpiſſimè. Tactu obſeruabamus ingentem in regione hepatis tumorem: occupabat enim totum epigaſtrium, & leuiſſimo tactu durities veluti ſuperficialis dignoſcebatur; adeò vt tumorem externum tanquam in muſculis latentem mentiretur. Fruſtranea fuere quæcumque tentauimus remedia; vndè Æger præ longitudine morbi obijt.

Cadaueris aggreſſi fuimus diſſectionem, & obſeruauimus miram muſculorum abdominis ſuprà corpus hepatis extenuationem; Ablatis etenim communibus integumentis vix apparebant veſtigia fibrarum muſculorum, quæ penitùs exſiccatæ

erant tanquam peculiari marasmo affectæ. Secto hepate apparuit steatomatosa illius substantia, albicans scilicet, & plusquam naturaliter compacta & dura. Aderat mediocris quantitas bilis flauo-sanguineæ in vesicula.

SCHOLIA.

QVoniam hepar tumidum erat, & à ligamentis non relaxatis in proprio situ detinebatur, debebat maius spatium occupare, & per consequens quaquauersùm niti contiguas partes comprimendo. Contiguæ partes, quæ à situ proprio possunt quoquo pacto dimo-

dimoueri, aliquantulum declinando compreſſionem minùs patiuntur. Partes verò, quæ à contiguitate tumidi hepatis nullo modo recedere poſſunt, manifeſtum eſt maiorem compreſſionem pati. Muſculi autem abdominis tumido hepati ſemper contigui ſunt intermedio ſolum peritoneo; igitur ab hepate tumente plurimum illos comprimi neceſſe eſt; Et quià hepar non ſupponitur ſolùm tumidum, ſed etiam durum; igitur hoc etiam de nomine compreſſio maior eſſe debet. Ex diuturnâ autem compreſſione factà à corpore duro ſuprà corpus molle compoſitum ex

fibris, canalibus, humoribus fluentibus &c. sequitur fibras corporis compressi distendi, constringi, & tonum amittere, canales angustari, & humorum fluxum impediri; vndè oritur partis compressæ exsiccatio, extenuatio, marasmus.

Tumidum, ac durum evaserat hepar à materiâ crassâ in ipso congestâ, quæ porositates eius, & canales obstruxerat, atque in illis indurverat; vndè læsa texturâ eius organicâ vilcus erat inutile, quià impotens secernendæ debitæ quantitati sinceræ bilis, & noxium ob incommoda, quorum multis de caulis occasio fuit.

OB-

OBSERVATIO XIV.

Tumor cartilagineus in pyloro & superiore parte duodeni.

PUsicus ætatis consistentis iam ab aliquot mensibus inappetentiâ, vomitu, & languore vexabatur sine febri; vomebat serosa in maxima quantitate; pulsus erat æqualis, sed paruus. In abdomine excarne tactu percipiebatur tumor durus, & circumscriptus sub ventriculo in parte dextra, tali modo vt videretur hic tumor contineri intrà musculos, & peritoneum. Nullus aderat in parte tumente dolor. Purgantia per aluum euacuabant, itâ pariter enemata.

Tan-

Tandem cum vomitus ſeroſæ materiæ Ægrum moleſtaret, itâ vt alimenta nullo modo poſſent in ventriculo retineri, inſenſibiliter defectu nutrimenti, conſtanti mente expirauit.

Aperto cadauere vidimus tumorem illum contineri in pyloro, & parte ſuperiore duodeni; Etenim craſſities pylori, & duodeni ſexies circiter naturali maior erat: & hæc craſſities non erat carnea, ſed cartilaginea; neque totam circumferentiam pylori, & portionis duodeni occupabat; ſed partem dumtaxat illius exteriùs vergentem, quæ erat circiter totius circumferentiæ medietas.

SCHO-

SCHOLIA.

INappetentia in hoc casu dependebat ex eo quod cibus liberum non habebat Aditum à ventriculo ad intestina propter tumorem pylorum angustantem; ideòque quamuis aliqua cibi portio semper percolaretur in intestinis; notabilis tamen eius quantitas semper in ventriculo retinebatur, qui per consequens in continua distensione detinebatur; vndè fieri non poterat, vt ventriculo alimenta continente, & semper distento famis sensatio excitatetur, vt multis rationibus ostendi potest.

Et

Et quoniam alimenta in ventriculo diutiùs detinebantur ob angustiam pylori, fieri non poterat, quin à longiori morâ, & fermentatione vitium aliquod contraherent puta aciditatis, vel acrimoniæ, ratione cuius irritatæ ventriculi fibræ ad violentam contractionem stimulabantur; vndè vomitus sequebatur, qui vltimis vitæ diebus violentior erat ob maiorem pylori angustiam, & copiam cibi in ventriculo.

Et quià deficiebat debita restauratio sanguinis, & conueniens corporis nutrimentum ob viam alimentorum coarctatam in pyloro, & duodeno; idcò non

non mirum ſi Æger languore vexabatur.

Prætereà, quià nulla aderat diſcraſia ſanguinis, & quamuis materia tumorem faciens à ſanguine ſuppediraretur talis naturæ erat, vt nullum in ſanguine vitium argueret, ideò nulla contigit febris. Vlteriùs quià materia tumoris dura erat, quæ proindè non poterat cum ſanguine miſceri, & etiam ſi mixta fuiſſet cum ſanguine, vtpotè nullum habens vitium præter craſſitiem, & duritiem, fortaſsè vim non habuiſſet ſanguinem in febrilem motum concitandi; & hinc cauſa carentiæ febris petenda eſt.

Mate-

Materia glutinosa tumorem pylori, & duodeni efficiens cum ipsis tunicis concreuerat, & induruerat; vnde tunicæ craſſiores, & duriores euaſerant, & per conſequens obruſiſſimi, aut nullius forſaſsè ſenſus capaces erant; ideò Ægrotans nullum in parte tumente dolorem perſenticbat.

OBSERVATIO XV.

Pulmo carnoſus &c.

Allus quidam ætatis conſiſtentis, qui è Patriâ nuper aduenerat ægrotare cœpit cum pulſu paruo & raro, miſſi-

tissimo calore, nullo dolore capitis, nulla siti. Parum tussiebat, & interdum, sed rarò quid spumosum & albicans excreabat; verùm difficilè respirabat, & suffocari aiebat, & à pondere pectoris opprimi, quod amplius tolerare non poterat. Varia assumpsit remedia, à quibus nihil leuaminis habuit; sed oppressione aucta, pulsu sensim deficiente, ac tandem abolito, viribus, & mente constans loquelam amisit, & paucarum horarum spatio obijt.

Aperuimus cadauer, in cuius abdomine omentum semi consumptum, hepar ex obstructione tumidum, & viridi colore tinctum à bile, quæ in cystide viridis erat, & lienem dentatum iuxtà longitudinem ex altera

parte

parte diuisum vidimus. In Thorace apparuit exterius pulmo non variegatus, naturali durior, & consistentiæ valdè compactæ non quidem ex infarctu seri viscidi, vel alterius materiæ, sed ex propria substantia excrescente, quæ carnosa potiùs videbatur, quàm vesicularis. Cor copiosissimæ pericadij lymphæ innatabat, quæ flaui coloris erat; & cordis apicem ex disrupta hydatide alteratum obseruauimus. Dexter ventriculus paruum polypum, sed durissimum continebat.

SCHOLIA.

CArentia memoratorũ symptomatum in hoc Ægrotante

tante denotat ſanguinem non efferueſcere, neque turbatam eſſe eius miſcellam, quâ ſeruatâ inalteratus ſanguis in naturali craſi, & placido motu manſueſcit; ità ex parte ſanguinis nullâ dyſcraſiâ affecti, & naturaliter fluentis functiones omnes ritè peragi debent iuxtà leges œconomiæ animalis. Si igitur poſito hoc ſtatu ſanguinis Aliquis malè ſe habeat, ſignum eſt malum eſſe in aliqua parte corporis, quæ morbo laborat independenter à ſanguine, qui benè conſtitutus ſupponitur.

Difficultas ſpirandi cum grauiſſima oppreſſione ferè ſemper ſignum eſt affecti pulmonis; par-

parua verò tuſſis cum leui ex-
creatu ſpumoſo, rarò etiam ſuc-
cedente denotat pulmonem ne-
que ſanguine, neque ſeri copia
infarctum eſſe, ſed aliquali tan-
tum ſeroſitate, quæ cum acre
mixta ſpumoſitatẽ efficit. Hæc
autem minima ſeri fluxio exi-
gui, ac nullius ferè momenti eſt
reſpectu grauiſſimi ſymptoma-
tis, ſeù difficultatis maximè ſpi-
randi Ægrum moleſtiſſimè ve-
xantis. Igitur tanta difficultas
ſpirandi vix, aut ne vix quidem
dependere poſſe rationabiliter
videtur ab humore in pulmo-
nem depluente, ſed ab alia ma-
iori cauſa procedere debet. Et
hæc eſſe quidem poſſet impedi-

tus

tus ſpirituum influxus in organa reſpirationi inſeruientia ex obſtructione, vel compreſſione nervorum; ſed frequentiùs eſſe ſolet aliquid cõprimens, vel obſtruens canales pneumonicos, ſpeciatim aereos, & veſiculas aereas; vnde aeris in pulmonibus impeditur commercium; Irà in noſtro caſu per excreſcentiam ſubſtantiæ pulmonis angustantur veſiculæ aereæ cum tubulis; idcòque liber Afluxus, & reAfluxus aeris haberi non poteſt; nam veſiculæ compreſſæ, vel craſſiores redditæ, vti etiam tubuli difficiliùs diſtrahi poſſunt à gravitate & elatere liquidi aerei; vnde inſpirationis oriturtur

tur impotentia. Eâdem de cau-
sâ coarctantur vala sanguinea
pneumonica, in quibus langui-
nis motus intercipitur; & ideò
fortasse in dextro ventriculo
genitus fuit polypus, quià vasa
pneumonica excipere non po-
terant omnem sanguinem à dex-
tro ventriculo qualibet systole
propulsum.

Si porositates hepatis obstru-
antur, euidens est humores,
qui easdem permeare debe-
rent, occurrente obstaculo re-
tineri in substantia hepatis, &
molem eius adaugere. Ex mo-
le hepatis auctâ, seù magis com-
pactâ, ac tumidâ fit, vt compri-
mantur, & coarctentur canales

eius

eius tùm sanguinei, tùm biliares, & acini glanduloſi, ex quibus ſubſtantia hepatis conſtata eſt; vnde bilis ob impeditum liberũ fluxum ex acinis & canalibus versùs cõmunia receptacula, mouetur lentiſſimè, & viſcidior euadit, & adhæret omnibus ſuperficiebus, quas tangere poteſt in ſubſtantia hepatis; Quarè ſubſtantia hepatis recremẽto bilioſo imprægnata colorem bilis exhibet; Et quãuis hoc phænomenon non ſemper contingat obſtructo hepate, tamen ſufficit vt explicem quomodo datâ obſtructione hepatis illud poſſit contingere; nam reuerà dantur caſus, in quibus illud acci-

cidere non poteſt etiam datâ obſtructione hepatis maximâ. Figura lienis frequentiſſimè variat; Interdum rotundam vi-

di, aliàs irregulariter circum-

ſcripram, ſæpiùs dentatam.

OBSERVATIO XVI.

Pulmonis abſceſſus: Pus in pe-

ricardio, & cor exteriùs cor-

ruptum.

Robuſtiſſimum Iuuenem acuta febris corripuit cum dolore laterali, maximâ anxietate, tuſſi, & ſputo cruento, pulſu valido, & duro &c. Perſeuerabat febris cum calore in-

ten-

tenſiſſimo, & ſiti inextinguibili ex maximâ accenſione ſanguinis; vnde eryſipelas in facie exortum fuit. Sanguis è venâ eductus craſſâ gelatinâ, ſeraque flauâ refertus erat. Circa diem decimum obijt.

In cadauere vidimus abſceſſum diſruptum in parte ſiniſtrâ pulmonis, vbi dolor aderat: pleuram pariter corruptam ex adhæſione pulmonis, & notabilem puris copiam in cauitate Thoracis. Maximam etiam puris copiam in pericardio inuenimus, à cuius contagio cor exteriùs puruleniam euaſerat.

SCHOLIA.

INflammatio pulmonis interdum fit in tota eius substantia, aliquandò in aliqua tantum eius parte superiori, vel inferiori; laterali, vel mediâ; superficiali, vel internâ. Si inflammatio pulmonis fiat in aliqua eius parte non longè à superficie cum notabili fluxu sanguinis in illam partem, facilè disrumpitur pulmo, & materia fluit in cauitate Thoracis. Distractis enim, quantum distrahi potuere, interioribus membranis, & mẽbranâ continente, quià semper cumulatur sanguis in parte inflammata, ibidemque turget,

& nititur quaquaversùm, cui-
dens est tumorem, seù abscef-
sum, qui semper nititur in mem-
branam continentem iam mul-
tum distractam, & quæ vlterio-
ris dilatationis incapax est, ibi-
dem disrumpi debere ob mini-
mam dictæ membranæ resisten-
tiam. Prætereà motus respira-
tionis plurimum facilitat hanc
ruptionem abscessûs; quià in
inspiratione, quæ in peripneu-
monicis violenta est, aer rapidè
fertur in substantiam pulmonis
per innumerabiles canales ver-
sùs eius peripheriam tendentes;
vndè materia abscessum faciens
ab impetu aeris magis vrgetur
versùs membranam continen-

tem, vbi ruptionis imminet pe-
riculum. In expiratione verò
quia pulmo concidit, materia
ablcessum faciens vrgetur, &
nititur indifferenter quaquaver-
sùm excepta illâ ex guâ quan-
titate, quæ esse potest in vesicu-
lis, & canaliculis aereis: hæc
enim à concidentia pulmonis
vrgeri quoquo pacto potest ver-
sùs asperam arteriam, sed len-
tissimo fluxu ratione debilis
compressionis, crassitiei mate-
riæ, & angustiæ canaliculorum
& vesicularum; vnde ad pro-
movendum eius fluxum vel vo-
lontariè, vel ab importuna irri-
tatione coacti tussis auxilio vti-
mur, ex qua concitatur rapidus

acris

aeris in expiratione motus; Quare patet multiplicem esse causam disruptionis pulmonis &c.

OBSERVATIO XVII.

Cor in basi vulneratum &c.

ANno 1680. die 26. Martij apertum fuit cadauer militis, cui vulnus inflictum fuerat Thoracem penetrans. Ensis sternum perforauerat, & perforato etiam pericardio cordis septum in basi vulnerauerat, vulnere leuiter penetrante sinistrum ventriculum, & in dextro finiente. Vixerat 17. dies, & quotidiè educeba-

tur è vulnere libra sanguinis. Su-
prà dextram Thoracis partem de-
cumbere non poterat ob copiam san-
guinis in opposita parte extravasati.
Nihil sanguinis, aut puris repertum
est in pericardio, sed cor exteriùs
corruptum apparuit, & in ventri-
culis aderant polypi.

Cur autem ex inflicto intrà cor-
dis ventriculos vulnere non illicò
mors subsequuta fuerit, ratio est;
quia cor vulneratum erat in basi,
sanguisque ex paruo foramine non
nisi guttatim effluere poterat; undè
requirebatur longum temporis spa-
tium, ut per illud foramen in basi
totus sanguis egrederetur; Quod si
vulnus versùs medium, vel conum
cordis extitisset minori temporis spa-

tio

rio vniuersus sanguis effluxisset.

SCHOLIA.

IN quacumque parte cor leviter vulneretur concipi vix potest quomodò in diastole sanguis possit per exiguum vulnus egredi, quia statim cor contrahitur; sed euidens est quòd per quodcumque datum vulnus debet in systole cordis sanguis effluere: Effluet autem magis si vulnus sit in cono, quam in medio parietum, & in medio parietum magis quàm in basi.

Quoniam enim in systole cordis omnis caro eius inflatur, & vnius lateris paries nititur in

parietem alterius lateris, ex hoc mutuo nisu fit, vt sanguis in neutrum ex oppositis parietibus determinetur; nam quilibet paries rationem habet potentiæ, & resistentiæ; Et quia cor rationem habet canalis conici, ita in contractione eius sanguis recipit directionē motũ; versùs vtrumque extremum illius; sed inferius extremum canalis conici, siue cordis imperuium est; igitur omnis directio fit versùs extremum superius.

Supponamus ergò cor in apice vulnerari; erit igitur cor in vtroque extremo peruium; & per consequens effluet etiam san-

sanguis ex inferioris extremi orificio, seù vulnere iuxtà proportionem vulneris, & æquali proportionaliter velocitate, quâ fuit per extremum superius naturaliter peruium.

Hinc patet quòd vulnerato vno cordis pariete circà medium minor, quàm à vulnerato cono sanguinis effluet quantitas; quia in contractione cordis directio motus sanguinis fit versùs duo cordis extrema propter mutuum nisum parietum, eademq; seruatur directio perforato pariete, ex quo fluere tantùm potest portio sanguinis, qui à parte parietis opposita parieti vulnerato trudi potest; nam

vbi vulnus eſt, ibi deeſt potentia impellens ſanguinem, & reſiſtentia contrà impetum illius, qui truditur à parte alterius parietis oppoſita vulneri; igitur &c.

Denique ſupponamus cordis baſin vulnerari; quià cordis caro ad baſim gracileſcit, & ibi ventriculi ampli ſunt: igitur in ſyſtole contractio carnis, quæ circà baſim eſt minimam vim habet; & per conſequens nequit impetum ſufficientem imprimere ſanguini, vt per datum ibi vulnus ſanguis velociter effluat. Accedit quod ſanguis protruſus à tota mole carnea cordis versùs baſim refringit

imp-

impetum sanguinis qui nititur versùs locum vulneris lateralem; vndè exigua tantùm sanguinis quantitas, & cùm minimo impetu per vulnus egrederetur, quià totus sanguis recipit directionem motus à conoversùs basim directè ad vasa.

In casu memorato non solùm vulnus est ad basim cordis, sed ad angulum qui est inter septum, & parietem sinistri ventriculi; ex quo fit quòd in stole caro parietis, & caro septi, quæ angulum efficiunt, inuicem approximantur ob vtriusque turgentiam, & reddunt angustius vulneris orificium; vndè hac etiam de causa minori copia,

pia, & impetu effluit sanguis è vulnere in basi cordis, quam in medio, & apice in casu exposito.

OBSERVATIO XVIII.
Colon in hypogastriũ diductũ.

Virum ætatis consistentis hernioſum ex epiplocele febris corripuit cum vomitu enormi, ſiti inextinguibili, inquietudine, & ventris doloribus. Enemata imponebantur, quæ Æger difficilè excipere, nullo modo retinere poterat. Remedia per os assumpta nec vomitum compescere, nec tormina lenire, nec alvum aperire potuerunt. Tandem Ægrotans in extremis partibus frigidus evasit cum pulsu formicanti, sensimque defecit.

In

In cadauere obſeruauimus intestinum colon à naturali ſitu receſſiſſe, diductum ſcilicet in hypogastrium à mole aucta omenti, quod à ventriculo feceſſerat, & in ſcrotum prolapſum totâ eius capacitatem implebat illi arctiſſimè adhærendo. Intestina omnia phlogoſi affecta conſpicicbantur.

In hoc cadauere curioſum quid obſeruauimus, nimirum veſiculam bilis turgidiſſimam inſtar intestini: exemimus hepar, vt illam examinaremus, & notauimus ab incluſo intrà veſiculæ tunicas flatu veſiculam fuiſſe tàm inſigniter expanſam; nàm leuiter perforata exteriori tunica, illicò concidit veſicula, remanente integra interiori tunica. In meatu

cyſti-

cystico annulum fibrosum Glissonij manifestum vidimus.

SCHOLIA.

MAnifestum est quod posito situ memorato intestini coli difficilis esse debet excrementorum motus in colo, & à colo ad rectum : naturalis enim coli positura & conformatio talis est, vt celerem excrementorum in illo motum; & transitum ad rectum impediat, quia modicè flexuosum est tanquam segmentum magni circuli. Igitur quò magis augetur hæc tortuositas eò difficilior redditur motus excrementorum,

torum. In noſtro caſu datur tor-
tuoſitas intestini coli naturali
maior, quæ conſiderari poteſt vt
triplex, vna ſcil. versùs ileum, al-
tera versùs rectum, altera in hy-
pogaſtrio. Quæ in hypogaſtrio
eſt, minoris momenti per ſe ipsã
eſt, quia conuenit cum naturali
tortuoſitate eiuldem intestini
in epigaſtrio; ſed dato deſcen-
ſu coli in hypogaſtrium, decli-
uior intestini poſitura occaſio
eſt, quòd portio coli ràm ver-
sùs ileum, quàm versùs rectum
tortuoſa, & eminens ſit, & ſi-
milis naturali machinæ pyloris
Quare habita proportione con-
iecturari poteſt vtriuſque tor-
tuoſitatis reſiſtentia.

Circà

Circà phænomenon vesiculæ felleæ observo quòd quemadmodùm exterior tunica vesiculæ est continuatio tunicæ hepatis, quæ ab hepate facilè diuelli potest; ità pari facilitate exterior vesiculæ tunica ab interna seiungi potest ex intromissione alicuius liquidi, potissimum serosi, vt aliquoties obseruasse memini.

OBSERVATIO XIX.

Polypus cordis.

ANno 1680. mense Februario Adolescens laborauit graui peripneumonià, à quâ conuenientibus remedijs,

&

& speciatim sanguinis missionibus modicè iteratis sanatus est. Supererat seri viscidi in pulmones fluxus, qui per plures menses continuauit, & Adolescens sensim ad cachexiam vergebat. Non diù cachecticus vixit: nam hydrope vniuersali correptus decem, aut duodecim dierum spatio absque pulsu manifesto cum difficillima respiratione expirauit.

Dissecto cadauere notauimus dextrum cordis ventriculum naturali ampliorem, in quo ingens polypus multis radicibus inter ventriculi sulcos irretitis orificia vasorum corpore suo obstruebat.

SCHOLIA.

QVoniam sanguis, qui à sinistro cordis ventriculo trudi-
ditur in arterias, & mittitur per illas in vniuersum corpus, debet superare resistentiam naturalis arteriarum contractionis, grauitatem, compressionem, & tensionem reliquarum partium, necesse est, vt à corde talem impetum recipiat, qui dictas resistentias superare valeat; sanguis autem qui à dextro cordis ventriculo in pulmones trudi-
tur multò minorem superare debet resistentiam, vt manifestum est; vndè minorem exigit à corde impulsum. Igitur pa-
ter

tet ratio differentiæ ventriculo-
rum, quòd scilicet sinister dex-
tro plurimum crassior sit, seù
multa carne roboretur, quæ ad
maiorem contractionis vim fa-
ciendam necessaria est. Quo-
niam igitur dextri ventriculi
vis cõtractionis minor est vi
contractionis sinistri ventriculi,
& cum minori impetu sangu-
exprimitur à dextro ventriculo,
quàm à sinistro, poterit facilius
in systole cordis sanguinis por-
tio remanere in dextro, quàm
in sinistro ventriculo, ibidem-
que lentescere, crassitiem, &
glutinositatem, seù polypi na-
turam contrahere. Porrò quia
maiores arteriæ rarissimè ob-
struun-

struuntur, & multiplicia habent emissaria; ideò etiam si aliquod ex his obstructione afficiatur, nihilominùs sanguis sufficienter in reliqua deriuatur emissaria; vndè maiores arteriæ, quæ sanguinem immediatè à corde recipiunt semper sunt dispositę ad recipiendum sanguinem qualibet systole propulsum: Quamobrem rarissimum est quòd sanguis in systole cordis nequeat à sinistro ventriculo totus expelli. Sed quia sanguis à dextro cordis ventriculo mittitur solum in pulmonem per arteriam pulmonalem tanquam per vnicum emissarium; Igitur datâ resistentiâ in pulmone, vel in emis-

emissario non poterit sanguis in qualibet systole à dextro ventriculo protrusus omninò expelli ob occurrentem resistentiam in emissario, vel receptaculis, & per consequens aliqua eius portio maior vel minor iuxtà proportionem spatij superstitis in canalibus, & receptaculis remanebit in dextro ventriculo cordis, & facta in illo longiori mora concrescere facilè poterit in polypum. Quarè patet in affectibus pulmonis facilè produci posse concretiones polyposas potissimùm in dextro ventriculo.

OBSER-

OBSERVATIO XX.

Mesenterium versùs spinam retractum: substántia medullaris cerebri & medulla oblongata durissima &c.

IN fans mediocriter carnosus capitis parui primò leuibus, mox validis conuulsionibus corripi cœpit. Purgatus fuit, & à purgatione melius se habere videbatur; Adhibitis etiam remedijs volatilibus, vt spir. sal. armon. elixir. vit. tinct. castor. &c. adhuc melius se habuit. Tertia verò die supernuciente insultu validissimo obijt. Aperto cadauere vidimus intestina flatibus distenta, & versùs verte-

vertebras retracta à meſenterio con-
uulſiuè contracto. Panca aderat bi-
lis in veſicula, eaque colors, &
conſiſtentiæ inſtar liquidæ picis. In
cerebro vaſa ſanguine turgida ap-
paruere, excepto plexu chiroide
prorsùs inanito: ſubſtantia medul-
laris cerebri & medulla oblongata
duriſſima erat, ac velutì tenſa.

SCHOLIA.

MEſenterium in homine ex duplicata peritonei membrana componitur, cui interijcitur peculiaris, ac fibroſa membrana, quæ notabilis contractionis capax eſt. Et quià copioſi extant in meſenterio neruorum

plexus & ramuli; ideò in affectibus conuulsiuis facilè mesenterium violentam patitur contractionem.

Frequentissimè cerebri vasa sanguine turgidissima obseruaui speciatim in affectibus capitis, cum tamen plexus choroides effet omninò depletus. Huius ratio phænomeni hæc esse videtur, quod vasa sanguine turgida apparentia sunt potissimùm venosa, vasa verò plexum choroidem constituentia sunt pleraque arteriosa. Notum est autem multò maiorem sanguinis copiam in venis semper reperiri, quàm in arterijs, tùm quia venarum maior est numerus,

rus, & amplior diameter, tùm quià arteriæ magis quàm venæ contractiles sunt, ideòque in venas facilè distractiles omnem ferè sanguinem exprimunt.

OBSERVATIO XXI.

Tumor in Hepate.

EXcellentissimus Dominus ætatis consistentis, corporis carnosi, vinis meracioribus valdè deditus incidit in febrem erraticam, quæ per quatuor continuos menses perseuerauit. Interea conquerebatur de dolore in regione hepatis, & lienis, & circà inferiorem partem sterni. Vltimis

vita diebus fluxum alui importunum habuit, ac tandem resolutis viribus sensim deficit.

Dissecto cadauere observauimus in primis insignem exienuationem partium præcipuè carnosarum, quid in Abdomine membrana adiposa erat adhuc multo adipe referta: omentum valdè erat consumptum, & totus venter omnind depressus. Vidimus hepar mole insigniter auctum, cuius lobus anterior in sinistrum hypochondrium protendebatur; In parte gibbâ deprehendimus insignem tumorem, quo aperto effluit puris glutinosi, & sub cruenti ingens copia, illoque euacuato observauimus cystim notabilis crassitiei.

SCHO-

SCHOLIA.

DOlor in hypochondrio dextro, & versùs sternum pendebat ex tensione ligamentorum hepatis; quoniam tumor in parte gibba vrgebat molem hepatis versùs partem sinistram; vadè necesse erat vt ligamenta per vim distenderentur; Dolor verò in sinistro hypocondrio dependebat ex eo, quòd lobus hepatis ventriculum & lienem premebat: quapropter ob insuetum pondus Æger percipiebat dolorificam in illa parte sensationem.

OBSERVATIO XXII.

Cor maximum plurimis vlcuſculis in ſuperficie alteratum.

Nno 1680. Vir ætatis conſiſtentis ſtrigoſi habitus cæpit conqueri de Palpitatione cordis, quæ per menſem circiter parum remiſſa, iterum recruduit, & cum tanto impetu, & ſtrepitu ſiniſtrum latus arietabat, vt ſonitus ad notabile ſpatium audiretur, & vibrationis impetus in Thorace conſpiceretur.

Pulſum ſemper habebat æqualem, aliquandò tamen durum, & magnum, aliàs paruum & celerem ſpe-

speciatim ultimis vitæ mensibus, sed nunquam intermittentem: aliquam spirandi difficultatem, sed maximam pectoris anxietatem: Dolorem in sterno, & cartilagine xiphoide continuum; nec poterat suprà latera, nec suprà dorsum decumbere; Denique habebat præfocationes periodicas, quarum quatuor vel quinque grauissimas intrà duos annos passus fuerat.

Die septima Aprilis An. 1682. *sensim languendo obijt: Cœpit enim frigescere in partibus inferioribus: mox erumpebant sudores frigidi, & pulsus sensim deficiebat, qui ultimis vitæ horis percipi amplius non poterat corde adhuc languidissimè palpitante.*

Huius morbi causam curiosè scrutati fuimus in cadauere, & obseruatis in Abdomine sanis omnibus respectiuè visceribus, Thoracem perlustrauimus, in quo inspectis primò pulmonibus flaccidis, & semi-consumptis, pericardium seruimus, quod contiguum cordi absque conciento sero inuenimus. Cor autem mole maximum, ac verè monstrosum se se obtulit plurimis exiguis vlceribus in superficie alteratum: Auricula dextra varicosa maximum polypum continebat: dexiro ventriculo alter inerat polypus, & alter etiam sinistro.

SCHO-

SCHOLIA.

QVoniam cor molæ maximum erat, ideò pericardio factum est contiguum; Et quià nullum supererat in pericardio inane spatium, ob perfectam eius cum corde contiguitatem; ità nullus in pericardio liquor apparuit. Præterea cor non solùm omne spatium in pericardio occupauit, sed moles eius enormiter aucta violenter dilatauit pericardium, cuius valida distractio in consensum traxit mediastinum, à quo externa eius membrana propagatur; Et hinc dolor in sterno, & circà cartilaginem xiphoidem

sequutus est. Ob eamdem cordis magnitudinem notabiliter auctam difficilis esse debebat Ægri in vtrumque latus, & suprà dorsum decubitus; quoniam ad latera decumbente Ægro maximâ patiebatur pulmo ab ingenti pondere cordis compressionem: suprà dorsum verò decumbente, tota moles ponderosa cordis suprà magnam arteriam, & venam cauam gravitabat; vndè sequebatur inquietudo, repugnantia, & anxietas Ægri in tali decubitu. Porrò rationem molis maximæ cordis magnam Thoracis partem occupantis pulmo dilatari sufficienter non poterat in in-

spira-

ſpiratione ob deficientiam ſpa-
tij in cauitate Thoracis, & ali-
qualem etiam à cordis mole
compreſſionem patiebatur; vn-
dè liber fluxus liquidorum in
ſubſtantia eius haberi non po-
terat; hinc neceſſe erat vt pul-
mo facceſſeret, & conſumere-
tur, vt euidens eſt. Vlcera in
ſuperficie cordis reperta oſten-
dunt veram cauſam palpitatio-
nis; quoniam à moleſta irrita-
tione in cordis villis per vlcera
facta cor ſtimulabatur ad vio-
lentam contractionem.

OBSERVATIO XXIII.

Diaphragmatis disruptio, & ventriculi in Thoracem ascensus.

ANno 1682. mense Novembri Adolescens habitus corporis gracilis vulnus antè annum in Epigastrio passus, à quo identidem doloribus veluti colicis occasione prauæ, & inordiniæ victus rationis obnoxius fuit; cæpit de dolore ventris conqueri, cui maxima vomitus violentia accessit. Medici vehementissimum vomendi impetum mitati opportuniora præscripsere remedia, quæ prorsùs inutilia fuere Ægro sensim deficiente.

Cada-

Cadaueris dissectioni vocatus intestina omnia phlogosi affecta obseruaui; & euidens est Adolescentem ex ileo periisse, cum ex relatione in vltimis vomitus conatibus quid fœculenti vomuerit. Vesicula bilis atrâ bile turgida inuenta est; Quod autem rarissimum visum fuit, diaphragma, vbi œsophago transitum præbet, disruptum, & ventriculum cum portione omenti in cauitate Thoracis inuenimus.

SCHOLIA.

VErisimile est quòd vulnus inflictum in epigastrio ventriculum penetrauerit, & inductâ vulneri cicatrice superierit

rerit in ventriculo ſtimulus, qui datâ leui occaſione vomendi neceſſitatem fecerit. Hic ſtimulus multiplex eſſe poteſt, vel ſpirituum motus inordinatus, qui multoties reciſis partibus neruoſis remanet, & longiori tempore perdurat, vt obſeruamus in illis, in quibus reciſo brachio, vel crure ſupereſt dolorifica paſſio quæ à morbo reciſæ partis producebatur, antequam pars illa reſcinderetur: vel acris materia ex vitiata cicatrice tranſudans, & vellicans neruleas fibrillas: vel etiam mala cicatricis conformatio, vt ſi aliquæ neruleæ fibrillæ laxiùs vniantur, aliæ ſtrictiùs; vndè faci-

facilè ſequitur inæqualitas motus illarum quæ moleſta eſſe ſolet ſpiritibus animalibus, quorum influxum naturali maiorem promouet.

Diaphragma non perforatur ab œſophago in parte nerua, vt multi Anatomici cenſent, ſed in parte carnea, quæ ab œſophago verè non perforatur, ſed illi permittit tranſitum: componitur enim diaphragma ex duplici muſculo anteriori, & poſteriori: poſterior ex duobus carnoſis cruribus conſtat, quæ œſophagus interiacet; vndè ſufficit quòd hæc duo crura muſculoſa diducantur, & illorum vnio, vel coalitus anterior, vel poſte-

posterior aliquantulum discon-
tinuetur, vel disrumpatur, vt
ventriculi violenter contracti
permittant in Thoracem ascen-
sum: notum est enim quòd
ventriculus in distensione posi-
tus maximam molem habet, &
ingens spatium occupat; sed va-
lidè contractus minimam ha-
bet dimensionem; vndè potest
in Thoracem conuulsus ferri
per foramen ampliatum dia-
phragmatis, vt dictum est. Vidi
hominis vẽtriculum adeò con-
tractum, vt dimidij pugni ma-
gnitudinem non excederet. Pa-
tet etiam summa discrepantia
inter dimensionem partiũ dum
contractæ sunt, vel plurimum
disten-

distentæ potissimùm in vtero; vesicâ vrinariâ, intestinis &c.

OBSERVATIO XXIV.

Strangulatio superioris orificij ventriculi à mole maximâ hepatis, & ventriculus in vmbilicalem regionem detrusus.

Euerendus Pater temperamenti sanguinei, & habitus corporis carnosi laborabat identidem, vt referebat, languore stomachi: sensim extenuebatur, & ex eodem languore deficiebat ob impotentiam sumendi alimenta, quæ probè deglutita ad ventricu-

triculum peruenire non posse videbantur. Tandem vehemens corripuit illum vomendi stimulus, & atri humoris mediocrem copiam euomuit; post vomitum inuasit febris; vndè breui macilentus, & in marasmo constitutus occubuit.

Dissecto cadauere animaduertimus omentum tenacissimè adhærere peritoneo: hepar mole maximum occupabat totum epigastrium: bilis vesicula amplissima erat, & bile repleta: lienis vestigia vix apparebant. Notauimus ab ingenie mole, & pondere hepatis depressum fuisse ventriculum, quem in regione vmbilicali inuenimus, & orificium illius superius à superincumbente hepate valdè compressum, ac veluti strangulatum. No-

Notandum quòd liquida difficiliùs deglutiebat, quàm solida.

SCHOLIA.

EX depressione ventriculi, & strangulatione superioris illius orificij patet necessitas languoris stomachi, & impotentiæ sumendi alimenta; sicuti enim robur stomachi à vigoratione fibrarũ eius, & vegetâ contractione dependet; ità eiusdem lãguor cõcidentiâ, & relaxatione producitur; œsophagus etiãne per vim elongatus euaserat angustior, vndè alimenta difficilè canalem permeare poterant. Præterea orificium ventriculi fir-

firmiter coarctatum cibi ingreſſum in ventriculi cauitatẽ prohibebat. Quoniam verò œſophagus plurimum erat diſtentus, parietes eius facti erant contigui, & tenaciter adhærentes; vndè liquida in potu ſumpta vim ſufficientem habere non poterant ad diſtrahenda canalis latera; Verum ſolida alimenta à pharynge ſe contrahente compreſſa facilius poterant adinſtar cuncorum diſiungere contigua œſophagi latera, & per vim contractilem totius canalis vrgeri versus orificium ventriculi, eiuſque reſiſtentiam ſuperare.

OBSERVATIO XXV.

Maxima limphæ copia in ventriculis cerebri : portio cerebri supra nervos opticos corrupta.

ANno 1680. mense Maio Virginem vidi semi-delirantem diù, noctuque querulam, & irrequietam ferè sine sensu oculis scintillantibus, flammeis, & velut convulsis. Conquerebatur de dolore capitis, & nulla aderat febris. Opportuniora remedia præscripta fuere, & missio sanguinis è venis jugularibus instituta fuit; nihilominùs post paucos dies obiit.

In sectione cadaveris viscera omnia

omnia tùm Thoracis, tùm Abdominis sanissima inuenimus. In capite verò vidimus maximam in ventriculis cerebri seri copiam: substantiam cerebri fibrosam suprà neruos opticos omninò corrupram, alibi verò probè constituram: vasa suprà cerebri corticem turgidissima.

SCHOLIA.

DEbilitas sensûs dependere quidem potest à compressione cerebri facta à sanguineis vasis turgidissimis, & à copiâ lymphæ in ventriculis, sed maiori iure peti debet à passione cerebri, in quo spiritus agitati, & irrequieti detinentur, neque regu-

regulariter in ſenſoria influunt. Flammei erant oculi, & ve-luti conuulſi ob alterationem portionis cerebri ſuprà nerues opticos; vndè liquor nerueus vitium contraxerat, ſpeciatim acredinis, quæ ſpiritibus, neruei-queiſque fibrillis infenſiſſima eſt. Mirum autem quòd nulla febris aderat datâ notabili cerebri læſione, & liquoris neruei vitio; quod non reſpondet hypotheſi I. A. Borelli circà cauſas febrium.

OBSER-

OBSERVATIO XXVI.

Fungosa cerebri excrescentia.

ADolescens ex casu ab alio contraxit fracturam ossis frontis ad radicem nasi, ubi excauatum est, & præcipuè versùs supercilium dextrum. Aderat ossis fracti depressio, quod Chirurgus ferro extollere per vim tentauit. Ablatâ autem squamâ cerebrum cum membranis ex aperto cranio prominebat ad magnitudinem mediocris exiguæ nucis iuglandis, & trium mensium spatio excreuit in fungosam extuberantiam. Chirurgus ancipitem morbi exitum præuidens fungi extirpationem ferro magis peri-

periculosam iudicans illius lapsum ligaturâ tentare voluit. Adolescens autem factâ ligaturâ post breues boras incidit in soporem cum pulsu inæquali & formicãti, vomitu &c. febris etiam superuenit, & inirâ viginti circiter horas obijt.

In cadauere capitis sectionem instituimus, & inuenimus maximam portionem substantiæ cerebri circâ fungum sphacelatam. Excrescentia fungosa cerebri nihil aliud erat, quàm continuatio, & exuberantia ipsius substantiæ cerebri cum extensione meningum.

SCHOLIA.

QVotiescumque in capite vulneratis cum cranij fra-

 ctura,

cturâ, ablatisque squamis dura mater denudatur, & per aliqualem læsionem in eius superficie factam vel à squamis, vel à medicamentis, vel ab humoribus acribus super illam stagnantibus, alteratur contiguitas fibrillarum dictã membranam componentium, periculum est fungosæ excrescentiæ in ipsâ membranâ, cuius productio ità explicari verisimiliter potest. Sanguis ad duræ matris nutritionem, aliasque vtilitates à minutissimis arteriolis instillatur in fibrillarum interstitijs, & porositatibus, cuius modica portio congruens nutriendis porositatibus retinetur in illis, & sensim

sim transit in substantiam fibro-
sam membranæ, reliqua portio
iuxtà legem circulationis in ex-
tremis radiculis venarum reci-
pitur ac si absorberetur ab oscu-
lis hyrudinum. Supponamus
igitur in aliquâ membranæ par-
te fibrillas vel lacerari, vel dis-
rumpi, fieri non potest ob mul-
titudinem minimarum arterio-
larum & venularum, quin ali-
quæ ex his simul lacerentur,
vel disrumpantur. Quare ex
duplici fonte scaturiet sanguis,
nimirum à fibris membranæ,
& vasculis sanguineis. Sanguis
transudans ab interstitijs, & po-
rositatibus fibrillarum partim
genuinus est sanguis omninò

similis illi, qui à vasculis imè mediatè extillat, partim verò in nutriendis poris glutinosam iam recepit modificationem, aptusque euasit in solidam conuerti substantiam. Genuinus itaque sanguis cum sanguine modificato transudans in superficie membranæ facilè transit in coagulum, quod sensim indurescit in molem carneam informem spongiosam ex impresso solidæ partis rudimento à glutinosis particulis in substantiâ membranæ modificatis.

Eodem modo alteratis glandulis corticis cerebri humores nutritij modificati in ipsâ cerebri substantiâ cum reliquis humori-

moribus ſanguineis non modificatis tranſudant, & fungoſam producunt excreſcentiam. Malpighius cenſet exulceratis per vulnera corticalibus glandulis ſuccum nerueum per inſertos nerueos canaliculos non excerni, ſed extrauaſari, & excreſcentiam facere.

Difficiliùs eſt autem explicare modum productionis excreſcentiæ cerebri non vulnerato cerebro, vt contingit in hoc caſu, in quo videtur à ſolâ dilatione, & laxitate membranarum cerebri fungum dependere. Fieri igitur poteſt, vt ad dilationem duræ matris ad aperturam cranium contigua cerebri

portio facilè extẽdatur ob mollem consistentiam, & corticis producta substantia laxior euadat, quæ idcircò maiorem succi nutritij copiam admittere potest; vndè necessariò extuberat corticalis substantia in speciem fungosæ excrescentiæ.

Sympromata quæ Ægro supervenêre factâ fungi ligaturâ dependent à spirituum influxu partim impedito, partim inordinato, vt euidens est. Substantiæ cerebri ligaturæ adiacentis corruptio ab intercepto liquidorum fluxu petenda est.

OBSERVATIO XXVII.

Pulmonis inflammatio: hepatis & lienis obstructio: Polypi in ventriculis cordis.

VIr ætatis consistentis corripitur febri acutâ cum dolore pectoris laterali, sputo cruento, & reliquis symptomatibus indicantibus morbum pulmonis inflammatorium: Accedit pulsus inæqualitas maxima cum intermittentiâ. Symptomata graviora fiunt, quæ Ægrotantem interimunt.

Aperto cadavere vidimus hepar maximæ magnitudinis, quod totum occupabat epigastrium; lienem etiam ex obstructione valdè tumentem:

nihil ſeri in cauitate Abdominis extrauaſati occurrit. Pulmonis ſubſtantia ex nimiâ inflammatione corrupta inſtar conſiſtentiæ hepatis. In cordis ventriculis aderant polypi columnulis per filamenta appenſi, tanquam funiculo penduli.

SCHOLIA.

IN Maximis viſcerum obſtructionibus facilè ſerum ſeceditur a lenteſcente ſanguine, & per expanſarum membranarum ampliores poros tranſudat, & in ventris cauitate congeritur. In hoc caſu datur maxima hepatis & lienis obſtructio ſine yllâ ſeri extrauaſatione; cuius phæ-

phænomeni hæc esse videtur ratio, quià dispositio inflammatoria in sanguine est omninò contraria dispositioni sanguinis ad hydropem. Obiectioni, quæ contrà hanc assertionem potissimùm in casu exposito, adduci potest, responsio in promptu est.

Existentiam polyporum in ventriculis cordis frequenter indicat pulsûs inæqualitas, & intermittentia. Polypi enim vel strictam connexionem habent cum parietibus ventriculorum, vt perlæpè contingit insinuatis propaginibus in columnularum intestitijs; & in his casibus difficilè est de polypis

ex pulsu iudicium : vel polypi ex aliquâ tantum parte adhærent parietibus ventriculorum, & in reliquo liberi sunt, ac quodammodo in ventriculis fluctuantes ; & tunc inæqualitatem, vel intermittentiam pulsus producere solent; quià polypi à sanguine abrepti, vel à corde impulsi accedunt ad orificia vasorum, quorum aliqualem, vel omnimodam à polypis occlusionem sequitur pulsus inæqualitas, vel intermittentia, vt clarè patet.

OBSERVATIO XXVIII.

Cordis abſceſſus &c.

VIro cuidam ex caſu ab alto diſruptum fuit vas aliquod pulmonicum, ex quo extrauaſato ſanguinis in pulmone, pulmonis alteratio, & ſanguinis in cauitate Thoracis effuſio ſequuta eſt. Vir erat aſciticus viſcera habens obſtructione laborantia: Obijt autem ex affectu pulmonis.

In cadauere præter pulmonem alteratum, ſanguinem in Thorace extrauaſatum, & ſerum in Abdomine contentum cum obſtructione hepatis, & lienis, reperimus cor abſceſſu iam

disrupto alteratum, & puris crassitie adhuc incrustatum. Aqua pericardij limpida erat.

SCHOLIA.

A Corruptâ pericardij lymphâ cordis superficiem alterari non rarò cõtingit; cuius rei exemplum habemus in Observatione 16., & simile legisse memini in Observatione Olai Borrichij cõmemoratâ in Actis Hafnienſibus, in quâ habet à corrupto pericardij sero cor membranâ spoliatum, & exteriorem cordis substantiam ab eodem humore exesam inuenisse cum reliquâ substantiâ

Sacci-

flaccida & marcescente, ibi-
demque obseruat nunquam
Ægrum de dolore in regione
cordis conquestum fuisse: In
nostro tamen casu morbus est
in ipso corde independenter ab
humore pericardij, qui limpi-
dus obseruatus est; ex quo fa-
cile est conijcere memoratum
cordis abscessum à longo iam
tempore factum fuisse; alio-
quin aqua pericardij purulenta
apparuisset. Præterea à cordis al-
terationem à vitio humoris pe-
ricardij productam non fuisse
constat, quià non in vnica tan-
tùm portione, sed in toto cor-
dis ambitu læsio facta esset. In-
tereà mirum videtur, quòd
nun-

nunquam apparuerint affecti cordis indicia, neque alteratio cordis mortis occasio fuerit.

OBSERVATIO XXIX.

Hepar semi-scirrosum, cum duritie lienis, & pancreatis: serum in Thorace extravasatum: Pulmo multiplici materia turgidus: Cor maximæ magnitudinis.

VIr quinquagenarius forti orthopnœâ à longo iam tempore detinebatur: lenta febris superuenit, & per tussim expuebat serosam, spumosamque materiam sanguineis moleculis per-

permiſtam. Tumor aderat in dextro hypochondrio duritie ad ſcirrhum vergente; aderatque inferiorum partium ingens œdema, & ſuperiorum non parua conſumptio; adeò vt diù cunctando fatigatis iam reſpiraret ſuſpirijs. Quamuis ad vtrumque latus pari difficultate ſe verteret, nulla tamen procurata pectoris commotione murmurabat contenti humoris inundatio. Suppreſſo denique ſpuio difficillima in reſpiratione expirauit.

Diſſecto cadauere obſeruauimus inſignem hepatis molem ſubſtantiæ ſemi-ſcirrhoſæ, lienem minimum & duriſſimum, itemque pancreas: nihil ſeri in Abdomine continebatur: in Thoracis verò dextro latere copioſ-

ſum

sum totam implebat cauitatem. Pulmonis substantia inæqualiter læsa apparuit: erat enim alicubi consistentiæ veluti hepaticæ, densa nimirum & concreta alibi phlogosi affecta, alicubi insolitis maculis variegata, sed magnam partem tumida, densa, & pituitoso farcimine stipata. Dissectis iuxtà longitudinem bronchijs in principio materia spumosa, & albicans apparebat, in extremitatibus verò illorum quid sub-cruenti, & putridi, quod immediatè ab ipsa pulmonis substantia emanabat: Cor insolitæ crassitiei, & magnitudinis, in quo valvulæ enormiter dilatatæ, vasorumque orificia vt in bouino corde ampliata conspiciebantur: Illius ventriculi gru-

grumoso, & atro turgebant sanguine.

SCHOLIA.

Difficultatis spirãdi in Asthmaticis ratio multiplex esse potest pro multiplici causa talem morbum producente. In casu exposito dependere videtur à sero in Thorace contento pulmonem opprimente: à materia sanguineo-serosa pulmonum vesiculis, & canaliculis impacta, quæ in crassam, viscidam, & purulentam degenerauit: & à mole hepatis aucta diaphragma Thoracem versùs premente; Vndè multis de causis aeris cõmercium impeditur.

In

In laborãtibus pectoris morbo cum *lusp*icione *ser*i in cauitate extrauasati solent Practici procurare commotionem Pectoris Ægri, & aduertere, an aliqua subaudiatur liquidi vndulatio, ex qua manifestè inferri possit existentia *ser*i in cauitate. Verùm aduerto quòd fallax persæpè est huiusmodi experimentum *illis* potissimùm in casibus, in quibus *ser*i extrauasati tanta est copia, vt alterutram, vel vtramque cauitatis partem adamussim impleat: Tunc enim impossibile est vt liquidi vndulatio percipiatur; quemadmodum commouendo vas aliquod liquido exactè ple-

num

num nulla liquidi contingit in vaſe vndulatio. Et hoc veriſſimum cuilibet videbitur in exſpiratione. Verùm obijciet fortaſsè aliquis non benè verſatus in perluſtrãdis mechanicis Animalium machinis, quòd ſaltem inſpirante Ægro poterit aliqualis agitatio liquidi in Thorace perſentiri; quià eleuatis coſtis, & depreſſo diaphragmate conciliatur amplior in Thorace capuitas, quæ ſi poteſt aditum præbere aeri in bronchijs, & ſubſtantia pulmonis, poteſt etiam liberius ſpatium liquido extraſato concedere; ſed facilis eſt ad hanc obiectionem reſponſio: Quandoquidem quælibet vel leuiſ-

leuissima pectoris elcuatiõ, vel diaphragmatis depressio fieri non potest, quin eodem momento aer ingrediatur canales pneumonicos ad occupandum spatium inane, non ob metum vacui, sed ex necessitate mechanica pressionis aeris; Et quia insufficiens est spatium in pulmone ad recipiendam quantitatem aeris necessariam data maxima seri copia in cauitate Thoracis; idcò Ægrotans summam, quæ haberi possit, eleuationem Thoracis, & depressionem diaphragmatis molitur; vndè per vim quodammodo insinuantur columnulæ aereæ in fistulis pneumonicis procuran-

tes

te; dilatationem fistularum, & vesicularum pulmonis: Quare patet impossibile esse, vt vllum spatium supersit in cauitate Thoracis, in quo possit liquidum extrauasatum vndulationem pati.

Hìc etiam opportunum videtur aduertere, quòd in his casibus pulmonis consumptio non rarò contingit ex eo, quòd non solum comprimantur canales & vesiculæ aereæ, sed reliqui etiam diuersorum liquorum canales, & tota substantia pulmonis vndequaque compingatur, vt patet. Præterea ob imminutam respirationem, & aliàs quandò in alterutro pulmonis vnde-

vndequaque ab aquis compressi lobo suppressam dari potest copia humoris in fistulis pneumonicis, & nulla sequi excreatio, vt pariter manifestum est.

Vesiculæ pulmonis aereæ serosa, ac pituitosa materia infarctæ difficilis respirationis causa existunt non solùm quià aerem excipere, & emittere nequeunt; sed etiam quià eædem dictâ materiâ turgidæ vnà cum interstitijs ipsâ pariter materiâ repletis concrescunt in massam densam, & compactam, quæ suprà leues fistulas aereas grauitando intercipiunt aeris fluxum, atque refluxum. Hæc autem moles pulmonis densioris con-

consistentiæ suprà aereas fistu-
las suã grauitatem magis exer-
cet in decubitu Ægrotantis ho-
risontali, quàm in perpendicu-
lari ad horisontem vt patet;
Hinc facilius respirant Ægro-
tantes erecti, vel sedentes, quàm
decumbentes in lecto. In ex-
posita Obseruatione mentio fit
de hepate duro, & tumido, quod
in situ corporis horisontali dia-
phragma versùs Thoracem vr-
gere potest, quemadmodum
erecto corpore diaphragma se-
cum trahendo deprimit in hoc
speciatim casu, in quo hepatis
moles est naturali ponderosior:
naturaliter enim hepar, & ple-
raque Abdominis viscera in situ

cor-

corporis horisontali nituntur in diaphragma, illudque versùs Pectoris cauitatem trudunt; Grauitas enim viscerum in corpore erecto ad hypogastrium est, partem solidam, non cædentem, vtpotè osseam; quum verò corpus reclinatur directio grauitatis viscerũ ad diaphragma tendit, partem mollem carneo-tendinosam, cædentem.

Thomas Vvillis in Cap. de Asthmate pag. 105. circà difficultatem respirandi Ægro in lecto iacente hæc habet. *Visatum est huic morbo obnoxios sæpè lectum ingredi non ausos, tantummodò in Cathedra, aut super cubile vestibus indutos dormire posse. Cuius*

ratio

ratio est, quòd corpore stragulis coo-
perto, & concalefacto sanguis proin-
dè in motum paulò citatiorem conci-
tus, & feruescens uberiorem aeris
inspirationem requirit, quam per
tracheæ ductus coarctatos suppleri
queat: nam quò plùs sanguinis qua-
que systoles & diastoles uice pulmo-
nes traijcit, eò propter accensionem,
simulque euentilationem eius aer co-
piosiùs, & celeriùs ingeri, regerique
debet, cui penso (cum propter impe-
dimenta non facilè absoluitur) ta-
men quoquo modo peragendo par-
tium omnium respirationi dicata-
rum cum magna totius pectoris con-
tentione conatus ultimi exeruntur.

Patet autem non à stragulis spi-
randi difficultatem dependere:

ijs enim remotis eadem remanet difficultas, quæ ab incongruo corporis ſitu petenda eſt; quoniam Æger rectâ ceruice inſiſtens, etiam indumentis immensè coopertus facilius reſpirat, quàm in prono decubitu denudatus pectore. Sanguinis verò ab aere euentilatio à Th. Vvillis, alijſque Authoribus indicata prorsùs reijcienda eſt. Hùc ſpectat expulſio fuliginum, ſanguinis refrigeratio, nitroſarum particularum inſinuatio, & iſtiuſmodi commenta ab Authoribus excogitata pro ſcopo naturæ in reſpiratione Animalium: Talia enim vel falſa omninò ſunt, vel valdè dubia,

dubia, vel si aliqua ex his vera esse constet, sunt tantum effectus respirationis secundarij; nam præcipuus naturæ scopus in respiratione instituenda in Animalibus longè ab his diversus est. Egregiè quidem de Respiratione scripserunt Præclari Viri I. Swammerdam, R. Boyle, M. Truston, G. Entius, I. Maiovv, I. A. Borellus, & alij; sed multa in illorum Commentarijs obscurissima sunt, quædam valdè dubia, nonnulla etiam prorsùs falsa: neque verum respirationis vsum ostendunt. Ego polliceor verum vsum respirationis, sive necessitatem quæ est in Animalibus, & plantis

hauriendi liquidum aereum ra-
tionibus, & experimentis me
aliquandò demonstraturum.

OBSERVATIO XXX.

Hepar albicans: hymenis exi-
stentia: dextra cordis auri-
cula varicosa &c.

Filia semi-icterica, valetudinaria, & ad cachexiam disposita lenta febre detinebatur: superuenit brachiorum tumor à sero extrauasato, quod aliquandò refluebat in vasis, & tunc euanescebat tumor; mox à nouo seri affluxu iterum apparebat. Tandem languendo obijt frustrà adhibitis opportunis remedijs.

In

In Cadauere vidimus hepar notabilis magnitudinis, coloris albicantis, & reliqua Abdominis viscera sero exiranatato immersa, flaccida, & ad corruptionem dispositia. Paries verò genitales curiosè examinantibus hymen euidentissimè se nobis obtulit. In Thorace maxima seri copia reperta est, cui innatantes pulmones liuidi occurrebant. Dextra cordis auricula varicosa, siuè enormiter dilatata apparuit, in qua ingentes continebantur polypi.

SCHOLIA.

FRequenter in cachecticis, & hydropicis pallidus obseruatur hepatis color, quia san-

guis in illis vivida rubedine destitutus est. Aqua in ventre contenta visceribus mollitiem, & flaccidiratem facilè conciliat; vndè in diuturnis hisce morbis interdum fracida euadunt viscera, & abeunt in putrilaginem.

Auriculæ dextræ cordis enormiter dilatatæ simile extat exemplum apud P. Dionis celebrem Anatomicum Parisiensem in appendice ad dissertationem de Generatione hominis; cui apposita est eiusdem auriculæ figura.

Hymenis existentiam Aliqui admittunt Anatomici, plerique negant; & inter illos, qui eam ad-

admittunt alij veram membrā-
nam esse statuunt genitalia Vir-
ginum in externa, & interna
distinguentem eo ferè modo,
quo tympani membrana exter-
nam aurem ab interna separat:
Alij contiguitatem, vel coali-
tum caruncularum ad ostium
vaginæ hymen cõstituere aiunt:
sunt qui tenuem membranulam
vel fasciculum fibrillarũ dictas
caruncul as connectentem ad-
dunt. Omnes autem vel fora-
mina in membrana, vel interstitia inter caruncul as, aut fibrillas admittunt, per quæ sanguis menstruus percoletur. Verùm vtrâque autopsiâ constant nullum obicem occurrere in Vir-

ginum vteri vaginâ præter canalis angustiam; Quod etiam ratio videtur suadere, quiâ ineptè operari videretur natura, si necessitate nutriendi animalis consulere satagens excitatis stimulis famis œsophagum obturaret; Quod si Aliqui membranas, vel fibrillas, vel coalitus caruncularum observauerint, id contrà naturam esse censendum: quemadmodum contingit fœtus ore, naribus, auribus, vrethrâ imperforatis interdum nasci. Ad id, quod obijci potest ex Deuteronomio facilis est responsio.

OBSERVATIO XXXI.

Cordis polypi: Abſceſſus in pericardio: illius interna, & cordis externa ſuperficies alterata &c.

Febris acuta Virum corripuit, quâ breui extinctus eſt. Præcipua ſymptomata fuere calor intenſus, tuſſis moleſta, difficultas ſpirandi maxima: ſuprà latera decumbere Æger non poterat; minori autem incommodo ſuprà dorſum decumbebat; verùm ſedens meliùs ſe habebat, & facilius reſpirabat: vltimò diarrhœa ſuperuenit.

In diſſectione cadaueris vidimus

abſceſſum in pericardio valdè dilatato, in quo tùm puris, tùm ſeri maxima copia continebatur: ſuperficiem internam pericardij, & cordis externam alteratam, & cruſtâ albicante tectam: concretiones polypoſas in cordis ventriculis: hepar inflammatum, & in cauâ parte corruptum.

SCHOLIA.

DE cordis alteratione alibi iam facta eſt mentio, & iam innuimus cauſam alterationis ſubſtantiæ cordis aliquandò excitari in corde ipſo, interdum à labe humoris pericardij dependere. Idem in pericar-

pericardio contingere poteſt, cuius ſubſtantia, vel ex ſe ipſa, vel ab eius humore corrupto labefactari poteſt.

Polyporum exiſtentiam in Animalibus viuentibus Multi in dubium reuocant, Aliqui abſolutè negant, inter quos Kerckringius opinatur polypos in cadaueribus produci ex coagulatione ſanguinis refrigerati inducta à particulis aceſſentibus; & conatur ſuam opinionem experimento firmare: infundit enim liquorem acidum, vt ſpir. vitrioli in venam viui canis, quo deindè poſt repentinam mortem aperto grumeſcentem, & concretum ſanguinem obſer-

uat. Verum cuilibet occurrere poteſt quàm longè diuerſa eſt polypi ſubſtantia, & conforma-tio à ſimplici ſanguine grumoſo, & concreto, vt multis rationibus oſtendi poteſt. Quòd ſi Kerckringio concedere velim ab iniectione liquoris acidi in venam canis viui veros polypos excitari, turpiùs illum errare, ſibique contradicere oſtendero; quià ſanguinis concretio polypoſa ab acido liquore producta breui animal interimens, manifeſtè demonſtrat in viuo animali polypos generari poſſe; quod eſt contrà illius aſſertum.

Aliqui contendunt extremis tantùm vitæ diebus ex lentescen-

scente sanguine excitari polypum; cuius opinionis falsitas etiam patet ob symptomata, quæ manifestantur in polypo laborantibus, quæ menses, & annos aliquandò perdurant.

Circà materiam, ex qua polypi efformantur, putat Malpighius hanc esse portionem fibrosam sanguinis; sed Clariss. Bohn negat dari fibras in sãguine, quià quantumuis minimæ essent difficilè permearent capillares vasculorum extremitates, quæ idcircò à dictis fibris obstruerentur. Malpighius verò in Opere Posthumo pag. m. 62. cõfirmat suam suppositionem existentiæ fibrarum in sanguine his ver-

verbis. *In sanguine*, inquit, *Animalium, & præcipuè hominis, minimis fistulis excepto, præter atomos rubras, ramenta quædam, & minima filamenta cinerea sero innatantia patenter observantur, quæ probabiliter cessante motu locali, & intestino, implicatione in solidum corpus compaginantur & concrescunt; sicut accidit salibus, & fossilibus, quorum racemi, ramenta, & partes minimæ eâdem pollent figurâ, quæ in his solâ magnitudine differt: undè ipsorum concretio pendet à determinatâ componentium figurâ. Nec metuenda est minimorum vasorum obstructio; cum sero confusæ sint fibræ, undè motus & impulsus à corde receptus sufficienter superat resistentia.*

ſtentiam tunicarum vaſorum &; ipſæ ſolâ implicatione, vel ferrumi-natione medijs acidis quieſcendo con-*creſcant*. Exarata in ſero ramen-ta à Malpighio obſeruata me-liùs fibrarum inchoamenta, vt ipſe alicubi nominat, quàm ve-ræ fibræ dici poſſunt: ſimul enim cocuntia fibras efformant. Quòd verò ad excitandum po-lypum requiratur acidum fer-ruminans falsò multi arbitran-tur, quià in ſanguine educto, & potiſſimùm in aquam effuſo, ac poſteà refrigerato excitatur cõ-cretio quædam polypoſæ ana-loga, quæ tamen producitur ſi-ne concurſu acidi. Malpighius primò ſtatuit dicta ramenta fer-

rumi-

ruminari ab acidis, vt clarè habet in præcitati Operis pag. 62. *Hunc itaque* (intelligit polypum) *non rarò in cordis ventriculis, & præcipuè in dextro, & appensis vasis excitari habui, in melancholicis, lue venereâ affectis, reliquisque, in quibus coagulatiui, acidique sales luxuriant. Hos autem à minimis fibrarum inchoamentis fieri ab acidis, quasi ferruminantibus coniectaui, deficientibus insuper volatilibus particulis ab aere communicatis, quibus debita sanguini fluiditas conciliatur, & manuteneur.* Deindè sequenti pag. 62. loco suprà citato videtur excludere perpetuum acidi concursum, dum ait, quòd *ipsæ fibræ*

sola

sola implicatione, vel ferrumination-
ne mediis acidis quiescendo concres-
cant, & paulò suprà loquendo
etiam de fibris sanguinis, quòd
probabiliter cessante motu locali &
intestino implicatione in solidum
corpus compaginantur & concres-
cunt.

FINIS.

INDEX

INDEX OBSERVATIONVM.

OBSERVATIO I.

Aneurisma arteriæ magnæ paulò suprà iliacas, & polypi infrà locum Aneurismatis reperti: sanguinis intrà tunicas mesenterij, & circà renes extravasatio. pag. 9.

OBSERVATIO II.

Tumor sarcomatosus intrà tunicas coli. pag. 15.

OBSERVATIO. III.

Cerebrum febricitantis Hauo humore tinctum &c. pag. 20.

OBSERVATIO IV.

Inflammatio pulmonis, hepatis, & & intestinorum: Aqua pericardij purulenta, & superficies cordis alterata. pag. 28.

INDEX

OB.

OBSERVATIO V.
Moles hepatis maxima: Ventriculus in regione vmbilicali: Cor insolitæ magnitudinis &c. pag. 32.
OBSERVATIO VI.
Cranium crassissimum cum futuris vix apparentibus: medulla oblongata bilioso fero tincta &c. pag. 36.
OBSERVATIO VII.
Pulmo inflammatus: Cor magnum, variegatũ, & durissimum. pag. 44.
OBSERVATIO VIII.
Pancreas durissimum cum liquore lymphatico in canali Virsungiano: Capsulæ atrabilariæ maximæ, & alteratæ: Cor magnum, & planum &c. pag. 52.
OBSERVATIO IX.
Inflammatio meningum & cerebelli corruptio. pag. 57.
OBSERVATIO X.
Tumor fibrosus intrà tunicas cæci, &

& coli. pag. 61.

OBSERVATIO XI.

Hepatis, & diaphragmatis inflammatio: Cutis, cerebrum, & intestina bile tincta: Lien monstrosus: Cerebri fraciditas. pag. 68.

OBSERVATIO XII.

Hydatides in superficie cordis: vesicula bilis maximæ magnitudinis, & meatùs cystici obstructio &c. pag. 73.

OBSERVATIO XIII.

Hepar steatomatosum, & musculorum abdominis supra corpus hepatis extenuatio. pag. 80.

OBSERVATIO XIV.

Tumor cartilagineus in pyloro, & superiore parte duodeni. pag. 85.

OBSERVATIO XV.

Pulmo carnosus &c. pag. 90.

OBSERVATIO XVI.

Pulmonis abscessus: Pus in Pericardio,

dio, & cor exteriùs corruptum. pag. 98.

OBSERVATIO XVII.

Cor in basi vulneratum &c. pag. 103.

OBSERVATIO XVIII.

Colon in hypogastrium diductum &c. pag. 110.

OBSERVATIO XIX.

Polypus cordis. pag. 114.

OBSERVATIO XX.

Mesenterium versùs spinam retractum: substantia medullaris cerebri, & medulla oblongata durissima &c. pag. 120.

OBSERVATIO XXI.

Tumor in hepate. pag. 123.

OBSERVATIO XXII.

Cor maximum plurimis vlcusculis in superficie alteratum. pag. 126.

OBSERVATIO XXIII.

Diaphragmatis disruptio, & ventriculi in Thoracem ascensus. pag. 132.

OB-

OBSERVATIO XXIV.
Strangulatio superioris orificij ventriculi à mole hepatis maxima, & ventriculus in vmbilicalem regionem detrusus. pag. 137.
OBSERVATIO XXV.
Maxima lymphæ copia in ventriculis cerebri: Portio cerebri suprà neruos opticos corrupta. pag. 141.
OBSERVATIO XXVI.
Cerebri fungosa excrescentia. pag. 144.
OBSERVATIO XXVII.
Pulmonis inflammatio: hepatis, & lienis obstructio: Polypi in ventriculis cordis. pag. 151.
OBSERVATIO XXVIII.
Cordis Abscessus &c. pag. 155.
OBSERVATIO XXIX.
Hepar semi-schirrosum cum duritie lienis, & pancreatis: serum in Thorace extrauasatum: Pul-

mo multiplici materia turgidus: Cor maximæ magnitudinis. pag. 158.

OBSERVATIO XXX.

Hepar albicans: hymenis existentia: dextra cordis auricula varicosa. pag. 172.

OBSERVATIO XXXI.

Abscessus in Pericardio: illius interna, & cordis externa superficies alterata. pag. 177.

FINIS.

Ex commissione Patris Prouicarij S. Officij Perillustri Dom. Medico Collegiato Anglesio, vt videat, & referat, si placet.

DE mandato Adm. Reu. Patris Ludouici Clementis Prouicarij S. Officij Taurini, legi & perlegi Obseruationes Anatomico-medicas selectiores in lucem editas, & scholijs illustratas à Ioanne Fantono Fil. M. D. & Anatomes professore, & nihil inueni superstitiosum, neque contra bonos mores, sed omnia ad vsum publicum necessaria, & ideò typis posse mandari censeo.

Ioannes Franciscus Anglesius.

Attenta predicta attestatione &c.

Imprimatur.

Prouicarius S. Officij Taurini.

V. Riccardus.

B
A